

Kem 237 (1-26)



24


DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
CONSENSV
PARTIVM CORPORIS HVMANI
EIVSQVE CAVSIS
QYAM
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
IN
ALMA LUDOVICIANA
PRO
GRADV DOCTORIS
LEGITIME CONSEQVENDO

DIE FEBRVARII MDCCCLXXXI.
PVBLICE E CATHEDRA DEFENDET

A V C T O R
BENIAMIN BAVMER
SOHLINGENSIS.

GIESSAE - CATTORVM
APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN, ACAD. TYPogr.







DE
CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI
EIVSQVE CAVSIS.

§. I.

Admirandam nostri corporis fabricam satis su-
perque edocet mirificus, qui inter eius partes
viget, ac magnus *Consensus*: quippe quem per
tot seculorum obseruationes certissimum quo-
tidiana adhuc dum confirmat experientia. Maximi igit-
ur est eius cognitio, momenti, vtilissimaque. Sine
hac pathologus plurima, quae in morbis obueniunt,
phoenomena, non solum non intelliget; sed neque
horum originem recte deriuabit: sine hac clinicus vbi-
que in praxi sua vacillabit, claudicabit. Hac de cau-
fa omnes ab omni aeuo medicos ad hunc, omni in-
genii acumine, maximaque cum diligentia, attendisse,
non mirum erit. **HIPPOCRATES** disertis verbis lib.
de aliment. IV. 24, *In humano corpore confluxum esse*
vnum conpirationem vnam, & omnia consentientia, sta-
biliuit. Praeterea hunc vbiuis fere, maxime in ipsis
aphorismis, lib. de loc. in hom. de crisibus in pro-
gnosticis, prorrheticis, coacis, epidemicis, testatur. Re-
centiorum tamen fuere aliqui, qui, neglectis his ve-

A vete-



veterum obseruatis, ob detectam sanguinis circulationem, hunc plane negarunt; quia haec aequabiliter per singulas, singulis momentis, partes contingens, omnia consensus iura excludat. Sed licet rationem eius, legesque non omnimode perspiciamus, nihilominus, si in praxi motus & progressiones malorum attente obseruamus, illum aperte videmus, intelligimusque eius ratione quomodo partes in naturae functionibus obwendis inuicem commercium alant & morbos per ipsum hunc consensem, inter se communicent. Inprimis enim hanc partium societatem in statu praeternaturali & morboſo accuratius attendere & clarius dignoscere possumus, quam in statu naturali & fano, vbi omnia aequabiliter procedunt, conspirant omnes, sed aequabili tenore. Est iusta inter omnes proportio.

§. II.

Per consensem intelligimus virium & actionum collimationem in vnum finem. Vnde mutuum consortium, commercium, sympathia. Ergo est vel *naturalis* in homine fano, vbi omnia iusto fiunt, aguntur & afficiuntur in aequilibrio: vel *praeternaturalis* seu morbosus in homine aegrotante. Sane in morbis clarius dignoscitur noster consensus. In iisdem, si pars vna ab alia vel ob aliam patitur, dicitur *sympathia*.

§. III.

Sympathia autem est: 1. Si sensatio fit, ac si praeter affectam partem aliis locus simul afficeretur: haec sensatio nunc similis est ei, quae in ipsa affecta parte fit,

❖ ❖ ❖

fit, nunc plane diuersa, ita, vt molestus sensus fiat in consentiente parte, licet pars non vehementer stimulata afficiatur, & contra in affecta parte leuis saepe stimuli sensus; in consentiente vehementissimus fit.

2. Sympathia motibus se ostendit, qui in parte consentiente nerueam & muscularē vim possidente, plerumque suscitantur, ac si ipse stimulus immediate applicaretur. Eiusmodi motus quandoque sine omni mentis conscientia fiunt, ita, vt doloris nec in affecta parte ipsa, nec in consentiente perceptionem habeat. Alio tempore, cum dolor vehemens adest, motus non adeo vehementes producuntur.

3. Ad sympathiam referendum erit, si a stimulus in remota aliqua parte motus quidem noui non suscitantur, qui vero iam adsunt, inuertuntur & abnormes fiunt.

4. Sympathia est, vbi affectio partis symptomatica ab alia simul fiat materia, seu materiali adfluxu & aduentu. Huncce consensum medici inde nominauere *posituum*, perque eum morbus per consensum talis reddi etiam potest proprius in parte, seu ex hospite fieri incola. Exemplo esse potest epilepsia ex abdomine consensualis, vtpote, qua saepius repetita, tandem & cerebrum pati, & propriam labem retinere potest, vnde dein epilepsia ingruit habitualis ex cerebri vitio

§. IV.

Ratione partium corporis humani consensus noster obseruatur duplex: alius est vniuersalis, alias magis proprior & particularis. *Vniuersalem* seu *generalem*

A 2

ralem




ralem consensum vocamus, qui in iusto sanitatis aequilibrio inter generales corporis vires, partes, functiones & sistema viget, & in morbis indefinite magis & a toto corpore ad plures simul fertur partes: *Specialem* seu *particularem*, qui inter has illasue partes obtinet, & definite a parte hac illae ad hanc illamue fertur. Ex quo nemo non videt, saepe partem affectam sicut manifestare communem labem, seu affecta sit seu symptomatice ipsa patiatur. Tale quid occurrit in febribus continentibus continuisque, &c. vbi v. gr. caput dolet, ventriculus vomit, vel anorexia laborat, ob consensum generalem & communem ab ambitu morbi & causae morbificae copia, huc illuc euibrata.

§. V.

Vniuersalem istum inuenimus consensum inter *animam* & *corpus*: huius quidem causa hactenus mire torsit ingenia acutissima, nec dum nota est; attamen ipsum per quam arctissimum, omnes omnino fatentur: quamdiu hic adest; tamdiu homo dicitur viuere: simulac vero perit, & anima abit, corpus mortuum dicitur. In homine vero viuente animam in suum corpus & corpus in animam vicissim agere, pluribus tradunt metaphysici, & cum his physiologi. Prius, sc. animae in corpus influxum innumerabiles testantur casus, a quam pluribus etiam autoribus annotati, quorum praecipui sunt motus musculares animae imperio subiecti: porro ea, quae animi affectus, eosque in primis impetuoso

quam

quam subitissime insequuntur, v. gr. aut partium vehemens constrictio, aut earundem resolutio, flacciditas, laxitas: aut austus aut imminutus humorum motus: dein quae in respirationis negotium, cordis motum, arteriarum pulsum, eius notantur vires: ne quid de iis dicam, quae in morbis obueniunt, qualia sunt v. gr. nausea, quin & vomitus saepe horrendi, difficulter compescendi, ab aliqua tantum idea ingrata oriundi. Animi hinc affectuum in corpus potentiam saepe noxiā, saepe salutiferam inuenimus: terrorem, narium haemorrhagias sanasse; gaudium & iram, menses promouisse, paurorem & terrorem laxa quaedam strinxisse: pudorem intempestivum, partum reddidisse difficilem, & post partum lochia suppressisse, optimi testati sunt obseruatores. Exitiosos eorum effectus postea recensebo. Sensuum enim, motuum, circulationis, respirationis, secretionum, excretionum, digestionis, nutritionis, generationis, innumera inde vitia prouenire, promiscuum est. Igitur medicus, ad amissim haec cognita habens, aegrum videt nimis torpidum, hunc excitat producto animi vehementi affectu, v. gr. ira: eundem desperantem erigit spe: nimis denique irritatum deiicit metu, & quantum non inde in morbis quandoque auxilium! Hoc tamen non obstante animi pathemata ratione magis quam contrariis affectionibus regere praestantius esse duco. Hanc autem animae in corpus actionem vi neruorum, qui ad omnes abeunt corporis partes, vasaque etiam circumdant, fieri, nemō hodiernorum est, qui inficias ibit; corporis vero



in animam vis, liquet satis ex sensibus externis eiusque affectionibus, corpore aegrotante, aegrotat & anima. Verum enim vero, anima tamen hic non solum patitur, sed etiam reagentis vicibus fungitur; exagita ta enim a molestiis, quas ex corporis morbo contraxit, quas habet in corpus agendi vires, intendit, ut quae ipsa inimica ex domicilio suo expellat: exemplo sit dolor vehemens, quos effectus ad huius causam remouendam, non excitat? Efficit sc. summam inquietudinem, maximum laborem, intolerabilem fere angorem, continuum perugilium, delirium pessimum, vitaeque desperationem. Caeamus autem, ipsi tantam in omnes morbos adscribere vim, ac STAHLII, viri caeteroquin omni laude superioris, asseclae.

§. VI.

Vniuersaliter quoque consentiunt oeconomiae humanae systemata. Sic magnus est consensus i. inter fluida & solida: solidis affectis, vitiari & fluida, & vitiatis fluidis affici solida, est quod quotidie animaduertimus. Ita videmus vasis cuiusdam maioris in corde orificio per polyposum concretum obturato omnes corporis partes & functiones, vita priuari. Sanguis in auriculam cordis dextram de quacunque causa congeratur, haecque vehementius expandatur; eius contratio omni hora decrescit; hinc animi & corporis vis deficere incipiēt, orietur summa anxietas, statusque morti proximus. Exigua sanguinis pars in tenuissimis manus vel pedis vasis haereat immota; vniuersum inde

❖ ❖ ❖

inde corpus aegrotabit, accenditur febris vehementissima cum siti & vigilia. Exerceatur corporis aliqua pars motu, v. g. pulmo vocis clarae exercitio, manus fortiori agitatione, pes diuturniori frictione; quid inde? Sanguis non solum in ipsis partibus, sed & in toto corpore, celerius mouebitur; unde calor, & rubor in toto corpore. 2. Inter *fluida* & *fluida*: Chylus vitiatus non primis tantum viis noxiis, sed labem etiam suam in omnes late humores diffundit. Hinc veteres dixerunt: vitia primae coctionis raro in altera & tertia emendari: quin pleraque humorum cacochymiae suam in chyli vitio agnoscunt originem: sanguine male affecto, male & inde secreti erunt humores. Addemus exemplum: Chylus acidus, ventriculum & intestina irritans, producit ructus acidos, cardialgiam, voracitatem, fatus, tormina, spasmos, motum febrilem: in sanguinem sensim delatus, huius motum suppressit, assimilationem, nutritionem impedit; inde pallet, frigetque totum corpus, solida laxantur, humores feceruntur, aciduli nimisque tenues: bilis depravata fit viridis, viroreque inficit alii foeces. 3. Inter *vasorum* & *neruorum systemata*: stagnet sanguis in liene aut hepate; non admodum diu durabit, quin omnes fere vniuersi corporis functiones turbentur; quando quidem inde non modo digestio & alii excretio vietantur; sed & intestina, ventriculus, partes vicinae atque annexae spasmis vexantur, neruorum systema afficitur, oritur malum hypochondriacum. Nerui afficiantur & irritentur; statim pulsus mutatur, vascula mini-



minima constringuntur, liber sanguinis & humorum transfluxus impeditur, inflammations fiunt, febres accenduntur, haemorrhagiae obueniunt, & omnimodae excretionum suppressiones. Neruis in phthisi neruosa affectis, totum contabescit corpus, appetitus deicitur, concoctio deprauatur, languent vires. 4. Inter *spermato poeum systema* & *neruosum* quantus non consenus! Certum ipsum indicant stupendi illi, ex immo-
dica venere oriundi effectus, summa lassitudo, maxima debilitas, immobilitas, incessus delumbis, encephali dolores, conuulsiones, sensuum omnium maxime vi-
sus, hebetudo, fatuitas, febris lenta & hectica, excrucia-
tio, macies, tabes dorsalis, moderatus autem veneris
vsus, quam alacres non reddit homines! Nerorum
vicissim in sperma efficaciam monstrant pollutiones fre-
quentes, his debilitatis in hominibus litterarum studio
fere immorientibus, iisdemque valde irritabilibus per-
petui in venerem proritus.

§. VII.

Vniuersalis & consensus ultimo obseruatur inter corporis nostri functiones tum vitales tum animales, & naturales. Cordis motus in syncope languet; protinus respiratio fit anxia, suspiriosa, sensus & motus pereunt, secretiones subsistunt, sudor erumpit frigidus, pulsus vix sentitur. In vehementiore veneris vsu quicquid est virium facultatumque in toto homine conturbatur; hinc vniuersae oeconomiae humanae fundamenta concutiuntur. Imo ita functiones omnes corpo-

corporis inter se se conspirant, vt vna alteri pro basi
 sit. In primis hanc harmoniam 1. Inter *functiones vi-*
tales & animales admiramur: Circulus enim sanguinis
 alteratus, alterat & functiones animales: deprauata rur-
 sus phantasia omnes totius corporis functiones deprauat,
 corde quiescente, mox animi sapientia & cogitationes
 cessant: moderato humorum motu, animi & ingenii
 vires vigent, eodem turbato vel retardato vel exacer-
 bato, mox & anima vel torpet, vel agilior redditur.
 Medicamenta, vinum, vel aliud quod quis assumtum,
 quae sanguini maiorem motum conciliant, ingenii quo-
 que vigorem aliquatenus acuunt, excitant, & vice ver-
 sa. Quantam vim peruersa phantasia & animi pertur-
 bationes in ceteras habeant functiones, cuius obuium
 est; has enim semper comitantur cordis arteriarumque
 motus, calor, diuersarum corporis affectionum, vita-
 lium omnium, & quae ab his dependent functionum,
 tenoris mutatio, omitto muscularis motus in vitales fun-
 ctiones efficaciam. 2. Inter *functiones vitales & natu-*
rales: In circulo sanguinis modico, vigent omnes fere
 secretiones, eodem celeriori, mox subtiliora sedent,
 transpiratio in sudorem mutatur profusum: digestio
 bona cum optima in sano ceteroquin homine sanguifi-
 catione iuncta est, vita debili, debiles & functiones per-
 aguntur naturales: in phthisi actiones vitales debilissi-
 ma sunt, sed & naturales ita decrescunt, vt neque
 digestio neque sanguificatio, neque nutritio neque se-
 cretiones amplius rite procedant. Nam haec omnia
 non solum a sanguinis circulo mediate & immediate de-

B

pen-



pendent; sed etiam vix credibile est, hominem diu viuere posse, omnibus omnino depravatis actionibus naturalibus, imo in illis ipsis, qui diu inediam perpepsi fuerunt, & in quibus nulla adfuit neque nutritio neque secretio superflui, non penitus actiones naturales cessarunt; nam obesitas imminuta sufficiens est, de nutritione quadam argumentum. Denique finge tibi hominem, in cuius corpore nulla fieret ciborum digestio & assimilatio, nulla secretio nutritio & excretio; nonne huius sanguis putresceret breui? nonne mox mors adesset? Nam secretionibus vel excretionibus partium inutilium & recrementiarum impeditis, sanguis corrumperetur, ex corrupto sanguine nulli secererentur humores nutrientes & spiritus animales, & deficientibus his, deficeret & nutritio & vita. 3. Inter *functiones animales* & *naturales*: gaudium secretiones & excretiones auget: ira in visceribus primae digestionis enormes turbas creat: desiderium & aegritudo languorem & anorexiā inducunt: odium ac liuor appetitum prosternunt, somnum arcent, pallorem, maciem, cachexiam inferunt: moeror humores spissat, coctionem, nutritionem peruertit, somnolentiam gignit. Metu perspiratio supprimitur. Quiete musculari secretiones & excretiones impediuntur: ventriculo cibis dispeptis repleto, animus languet: transpirabili repulso, fit anxietas. Denique 4. Inter *secretiones* & *excretiones*: sudor profusus minuit vrinæ copiam, aluumque siccat: diabetes transpirationem minuit. Diarrhoea vel Dysenteria affecti cutim siccant ha-



habent. Fluxus saepe fluxus remedium; sic v. gr. diarrhoeae vrina copiosa, vomitus: secundum HIPPOCRATEM, quae menstruis non purgatur, si sanguinem ex naribus fundit, bono est: haemorrhoidum & seminalis excretionis consensionem arcanam esse, demonstrant HEVRN & WERLHOFIVS. Ex innumeris idem confirmantibus pauca haec adduxisse, sufficiat.

§. VIII.

Presso iam pede ad peculiarem & magis propriam transgredimur *consensum*, quem partes nostri corporis inter se fouent. De hoc ita (In initio lib. de loc. in hom. II. 1.) Celebratissimus noster covs: "Corporis singulae partes, altera alteri, vbi hinc aut illic percesserit, morbum facit, venter capiti, caput carnibus & ventri, & reliquae omnes iuxta eandem rationem, &c. Hunc prius exemplis & experientiis comprobare ac confirmare, nostrum erit.

§. IX.

Incipiamus a *cute*: haec, ob summam sensibilitatem, consentit: 1. cum *uniuerso neruorum systemate*, ideoque, in suppressa neruorum actione commode velletur remediis epidermidem in vesiculos attollentibus, rubefacientibus. 2. Quia non modo externum habitum cingit, verum etiam replicatur per corporis maiores aperturas, vt os & anum in tractum intestinorum intimamque horum tunicam facit; nam villosa intestinalium tunica quoad structuram & usum cum *cute externa* multum conuenit; quare hanc tunicam inter-



storum villosam ab epidermide reflexa male deduxit
Cl. MONROO tent. Edimb. T. V. Potius per obserua-
tiones practicas haec *intestinorum interna tunica* cum
cute externa exquisitum consensum habet, vt vnius
spasmus producat spasmus alterius; & ex vna in al-
teram frequens fiat materiae morbosae reuulsio, vt a
sudore suppresso, diarrhoea; a diarrhoea suppressa su-
dor oriatur; vt catharticum fortius assumtum retro-
pellat variolas, morbillos, petechias: & contra mate-
ries colicam & choleram & febres tertianas faciens
laepissime transeat in cutem externam, varia exanthe-
mata ibi producens. Sic morbi cutis, vt dolores artu-
tum, foedae ac pruriginosae eiusdem maculae, alui
morbis & excretionibus soluuntur: alui affectiones, vt
diarrhoeae, colicae, & in cutis affectiones migrant, &
per cutis vias, nempe per diaphorosin, sanantur fre-
quentissime. Ita in febribus acutis, quas malignum
parit fermentum, ventriculi & intestinorum vias ob-
fidens, & vehementes vndique oscillationes excitans,
aegri inquieti sunt, & loco stare nesciunt, totoque
pene tempore, quo huiusmodi affectiones durant, in
variolis ne minima quidem pustula in cute prorum-
pit, nec sudoris gutta promanat in iis, & aluo, ob
dictam causam, veluti contracta, conuulsaque vniuer-
sum cutis sistema quoque per occultum conlensem
contrahitur & quandoque conuulsiones oriuntur. Sic
emplastrum de arthanita cuti externe applicatum pur-
gat (per stimulum continuatum) intestina. Hinc est
quod multi sibi ventrem quandoque lubricent vsu ta-
baci,

baci, vel ore, in fumi forma facti, communicatis
nempe oscillationibus ab ore ad intestina. 3. Cutis
egregium habet consensum cum *toto systemate arterioso*
propter copiosissimas arteriolas & venulas per eam
dispersas; quare vniuersus circulus humorum a cute
externa quodammodo moderatur, vt frigus in acutis
& spasmi variis externi demonstrant, qui cursum san-
guinis inaequalem vel inordinatum efficiunt: quare in
morbis internis inflammatoriis stimulus in cute exter-
na toties prodest; deriuans materiam inflammatoriam
versus peripheriam. Ab ulceribus crurum antiquis
arte consolidatis symptomaticas haemorrhoides, hae-
moptoen, vterique haemorrhagiam quam plurimi vi-
derunt practici. 4. Cutis consentit cum *oculis*: exan-
thematibus cutis retropulsis diplopia oriri potest. Sic
mulier quaedam cutis exanthemata vnguento quodam
sibi retropellebat, vnde statim ipsius oculi ita contor-
quebantur, vt omnia obiecta gemina, & multiplicata
videret. Emplastris vesicatoriis eadem sat cito cura-
batur: vid. GVERIN, maladies des yeux pag. 411.
Eandem ob rationem alia foemina in oculorum mor-
bum priori fere aequalem incidebat. Haec sc. per
longum tempus capitis doloribus, nec non in labio in-
feriore exanthematibus laborauerat; quae exanthemata
externo quoque remedio retropellebat: inde factum
est, vt duobus oculis apertis, spasmodice quodammodo
contrafactis, nil quicquam; uno autem, dextro aut
sinistro, clauso, omnia perfecte & accurate videre po-
tuerit. Vaporibus emollientibus, laxantibus, atque

B 3

empla-



emplastris vesicatoriis ceruici impositis, hic morbus, intra trium hebdomadum spatiū, tollebatur. 5. Cutis in primis consensum habet cum renibus, propter aliqualem similitudinem illius humoris, qui in renibus vrinam, in cute sudorem facit, quare quae globules glandulosos cutis stimulant, plerumque etiam renū excretionem aiterant, vt ex cantharidibus constat: quapropter cutis etiam 6. arctum consensum habet cum omnibus vasis serosis totius corporis, vt igitur in omni stagnatione seri praeter naturali, morbisque catarrhalibus fere singulis, eiusmodi stimulus in cute externa profit, ad seri motum versus exteriora deducendum.

§. X.

Capitis, in primis cerebri 1. cum toto corpore consensum quis negabit? Hunc etiam HIPPOCRATES agnouit, cum lib. de gland. IX. apoplexiā definiret: cerebrum conuellit ac trahit totum hominem. Idem docent paralyses omnis generis ab apoplexia, si quidem non lethalis fuerit ortae peculiares, annotatae a WEPFERO in hist. & exercit. de apoplexia aliisque, huius autem consensus causam, non est, vt e longinquo quaeramus; cerebrum enim & cerebellum nerois ad omnes omnino corporis partes mittunt. Epilepticos si spectemus, considerantes affectus, causas & partes, a quibus excitantur & fountur hi morbi; tum quoque modum vt & symptomata, qui epilepsiam comitantur, camque sequuntur, intelligimus. Sane de hoc consensu mirando quam plurima extant testimonia,

nia, nosque de certitudine sympathiae cerebri atque
 neruorum cum omnibus ac singulis corporis partibus
 vberreme conuincunt. In specie illos vix satis riman-
 dos aut explicandos conuulsiuos motus admirari con-
 uenit, quorum insultus aegris ab aura seu vapore ca-
 lidiore, vel frigidore & certo corporis membro, de-
 finitaque huius parte, ad cerebrum hac vel illa ratio-
 ne, tardius, vel celerius ascendentem, oriri videntur,
 de quibus GALENVS, PLATERVS, ephemeridum aca-
 demiae naturae curiosorum scriptores & alii. Quid?
 A sola commotione corporis & capitis externa in sa-
 no homine confestim acerba symptomata produci pos-
 sunt; cuius rei exemplum nauigandi insueti praebent,
 quos naui maris fluctibus iactata, vel in gyrum cir-
 cumacta, vertigo, nausea, enormis vomitio, cum sum-
 ma anxietate, pallor faciei, virium languor, appetitus
 prostratio satis mire excruciare solent. 2. Capitis cum
 reliquis visceribus & artubus mutuam conspirationem
 confirmant nobis phrenites, aliaeque eius affectiones
 cum pectore, pulmonibus, ventriculo, intestinis, he-
 pate, liene, renibus, vtero, &c. in quaे critice de-
 cumbunt ac terminantur. Confer. HIPP. V. aphor. 56.
 VI. 21. VII. 5. II. coac. I. de morb. II. 16. & diss.
 I. H. RAHN de miro inter caput & viscera abdomi-
 nis commercio. Goetting. 1771. 3. Cerebrum conser-
 nit cum oculo; si enim in contusionibus cranii, & lae-
 sionibus meningum, 7^{mo} vel 11^{mo} die grauis super-
 uenerit ophthalmia, signum est mortis imminentis.
 4. Cerebrum consentit cum aure, docent id mirae otal-
 giae



giae symptomata. vid. SCHARSCHMIDT stud. med. Chirurg. 5. Capitis cum brachiis consensum sequens demonstrat historia: Vir iuuenis dolores brachii manusque sentiebat, quos minutissima praecipue commotione & attactu vehementissimos fieri indicabat, quorum tamen causa & origo nullo modo detegenda erat. Tandem vero vulnus in capite, & infra illud fractura crani animaduertebatur. Caluaria dein modiolo perforata, ossiculum in profundo durae matris impressum, duraque mater dilacerata, inueniebantur. Hoc ossiculo, multisque aliis frustulis ossis extractis, medicamentisque insuper, huic laesioni accommodatis, in usum tractis, dolores brachii plane cessabant, omniaque bonum praedicebant euentum; imo post exfoliations quasdam variarum lamellarum ossearum in vulnere hancen relictorum, sanatus fuit: licet tamen ex vulnera concludendum esset, globulum, per quem vulnus inflicatum, adhucdum in cavitate cranii occultum latere. Hancque opinionem veram fuisse, sequuta paralysis oculi dextri atque brachii dextri testata fuit. vid. GOOCK medical. & chirurg. obseruations. 6. Capite vulneratis aliquando fit abscessus in hepate Obseruationes WOLFF lib. I. obseru. chirurg. VIII. Curiosum etiam est, cerebri & neruorum morbos plerumque per vrinam curari, ex ephemerid. N. C. Decad. 3. pag. 204. 7. Caput etiam consentit cum ventriculo ut iam vidimus; nam a collectione puris in cavitate capitis, in eius contusionibus & vulneribus, succedunt, vomitus, nausea. Vomitu saepius capitis dolor

❖ ❖ ❖ ❖ ❖

tor soluitur, maxime biliosus & hypochondriacus. Hemicrania & claus quandoque ex vitio primarum viarum oriuntur. Hemicraniae serosae cessanti aliquando succedunt abdominis dolores acerbi; secundum PISONEM. Labii inferioris tremor signum prognosticum dat vomitus. 8. Porro caput cum aluo & aliis cum capite peculiariter consentiunt: aluo obstructa, caput repletur, soluta soluitur: pleno capite, aliis in officio turbatur: soluto capite, restituitur, & quod repiebat caput, ut bene soluatur, & aliis solui debet, teste BAGLIVI. Hinc purgantia tantopere profunt in capitibus morbis: maxime autem haec in faciei morbis omnem paginam absoluunt. Ceteroquin etiam guttas rosaceas aliasque morbosas faciei rubedines, irritis aliis, cauterium cruribus affixum sanare perhibet MERCVRIALIS, lib. de decorat. probatque, praeeunte HIPPOCRATE. Cel. A. PETIT hominem nouisse, qui si intra XXIV. horarum spatium clyisma sibi iniicere neglexerit, statim colli inflammatione affectum fuisse, refert. Haemorrhoides cruentae nimiae vel anomalae cum cephalaea saepe alternant. 9. In doloribus capitibus ab utero id potissimum notatu dignum est, quod, ut illi a stomacho prouenientes anteriorem illius maxime partem occupant, ita in his ex utero ortis occiput magis laboret; ut foeminae hystericae hic dolorem & frigoris sensum patientur; inde etiam hic affectus hysterici signum praecipue euadit diagnosticum. Notante, post alios, in primis BAGLIVIO prax. med. lib. I. 10. Caput consentit cum genitalibus: ex graui capititis

C

per-



percussione impotentiam ad venerem annotat **BAGLIV.** Succus semper viui, scroto illitus sifit haemorrhagiam narium. Acetum quoque iisdem aspersum ebrietatem & narium quoque haemorrhagiam minuit vel tollit. Exempla foeminarum ex mensium suppressione coecarum narrat M. E. BLOCH Medicinische Be- merkungen, Berlin 1774. Praegnanti foeminae si morbus accessit comitialis, absoluto partu soluitur. Lingua nigra fere semper post se delirium trahit, teste **BAGLIVIO & HIPPOCRATE** de affectionibus II. 2. Arcanus est consensus faucium cum genitalibus; testatur lues venerea. 11. Pedum lotiones in aqua tepida hora somni optimae sunt in capitis doloribus, grauedine &c. test. **BAGLIV.** prax. med. & de fibra motrice. Spasmus Cynicus hominem post clavum pedi forte infixum corripuit. Tota vulneris exscisa peripheria, nullum sentit leuamen, donec tandem consumta, lapide infernali, fuit fibra laesa. Luxatio ossium sesamoideorum in pollice pedis spasmus cynicum efficere potest. Journal de medicine chirurgie pharmacie &c. T. XLVIII. Otalgia & vlcera aurium collidunt quandoque cum affectibus arthriticis & rheumaticis; ergo aurium cum artibus magna est consensio. Soluitur cephalalgia aliquando dolore genuum vel alias articuli; quin etiam vlcuscotorum vberitate, secundum **WEPPERVM.**

§. XI.

Pectus consentit, 1. cum *cute*: erysipelas, si intro sponte vergit, pectus grauatur, & spiritum aegerri-

gerrime dicit aeger, quod mali ominis est. Bonum
 contra ea si ab internis ad externa migrat, soluit tunc
 asthma aliosque morbos. 2. Cum auribus, quod in
 inflammationibus pulmonum tumores & abscessus ad
 aures cum bono euentu fiant, docuit **HIPPOCRATES**
 prae not. XVIII. 1. 13. 16. Coac. III. 167. vt & II.
 epidem. V. 23. Omnes pleuriticos sanatos vidit **BAGLIVIUS**,
 quibus in interioribus auris dolor, & ex-
 inde suppuration superuenerunt. 3. Cum naribus: gra-
 uedo catarrhalis fere semper pectoris catarrhum, pe-
 cotoris catarrhus fere semper dictam grauedinem con-
 iunctam habet. 4. Cum lingua: hinc **HIPPOCRATES**
 lib. III. de morb. XXI. 25. in omni pleuritide lin-
 guam considerare iubet; cum, si tota lingua alba sit
 & aspera, ambae partes pulmonis sint inflammatae,
 si media linguae pars laboret, eadem pulmonis pars
 aegrotet, & sic porro. 5. Cum collo: notissima est an-
 ginae in pleuritidem, huiusque in peripneumoniam
 conuersio, cuius saepe meminit coxs, aphor. V. 10.
 11. morb. XXVII. 15. 17. idem de glandulis XII. 45.
 dixit; mulieres, mamma ablata, raucescere, & vocem
 grauem acquirere. Qui pertinaci raucedine laborant,
 quandoque hectici moriuntur, anno vix elapso, se-
 cundum **BAGLIVI**. 6. Cum hepate: iecore affecto, do-
 lores ad iugulum e directo fiunt, tuffes inanes, spi-
 randique difficultates, imo hydrops, qui a morbo
 iecore dependent, vehementissimam sed inanem tu-
 sim coniunctam habent; quae in aliis hydropum spe-
 ciebus vix aut raro appetet. 7. Cum intestinis: ver-



mes intestina rodentes, fatus eadem distendentes, pleuritidem saepe mentiuntur, anthelminticis carminatiuis sanandam. Cordis palpitatio ab affectione hypochondriaca hystericaque, & ab interceptis haemorrhoidibus, & a vermis non infrequens est. Haemorrhoidum molimina pectus versus pertinaciter directa asthma humorosum & denique phthisin producunt: imo haemorrhoidariae constitutionis homines in febres pectoris inflammatorias proni sunt, & hi sanguinis profluuiis iauantur. 8. Cum renibus & genitalibus: a dolore vehementer testes irritante tussis sicca soluitur: cum testis intumescit a tussi, nos commonet de consensu pectoris & genitalium. Si testis inflammationi tussis superueniat, inflammatio quandoque soluitur, & contra. Tusses molestae, asthmata vel alii pectoris morbi, in morbos scroti & viarum vrinæ interdum desinunt, morbi scroti & viarum vrinæ in morbos pectoris simili modo mutantur. Asthmaticis dysuria superueniens bono est; hac cessante, denuo tales fiunt, secundum BAGLIV. Diuretica maxime prosunt in morbis pectoris. Asthma cessat, superueniente dysuria, & hac de repente cessante denuo asthma sequitur, atque cum his arthritis ad inuicem commutatur, obseruante BAGLIVIO. 9. Cum Vtero: mammas in grauiditate turgescere, a partu crebriori flaccescere obseruauit HIPPOCRATES de nat. pueri XLIII. 16. nec non aphor. V. 37. & II. epidem. I. 42. Abortientium mammas graciles fieri, idem notat: vnde etiam mulieribus vt menses sistat cucurbitam maximam ad mammas affigit.

❖ ❖ ❖

affigit. aphor. V. 50. II. epidem. VI. 33. conf. SCHENCKIVM & BAGLIV. & ephemericid. N. C. Cordis palpitatio ab interceptis mensibus saepe obseruatur. 10. Denique pectus consentit cum *tibiis*: ulcera antiqua, aliaque tibiarum mala intempestivae aut imprudenter retroacta in pernitiosos pectoris morbos desinunt; vti quotidiana constat experientia. Tussis sicca soluitur, si dolor vehemens ad coxas & crura oritur. Pectoris hydrops leuatur pedum tumore: hoc vero euanescente grauatur pectus. Asthmate crebro succrescit arthritis, podagra: & contra, arthritis in asthma desinit. Quibus accedit oedema manus, post haec brachii, signum est impedimenti polyposi circa cordis ventriculum vel auriculam; aderitque spirandi difficultas, morbo ad interitum properante aegri: secundum BAGLIVIVM. Qui ex polypo cordis moriuntur, hi pauclo ante mortem tumore pedum oedematoso vexari incipiunt, mox cachexia, hydrope tandem, vel alterius manus, brachii quoque maxime laeui. Secundum HOFFMANNVM.

§. XII.

Ventriculum inter & reliquas corporis partes magnus certe est consensus; obseruamus enim quotidie ad ventriculum, tanquam ad centrum aliarum partium, omnium vires duci, & ex illo ad has iterum retrogredi. Ad arduum illud in corpore nostro digestonis opus absoluendum non ventriculum solum, & liquores quosdam dissoluentes, sed omnes totius corporis

ris





ris partes mirabili quodam consensu conferre Cl. T.
BORDEU in Diss. med. cui tit. quaestio medica an
omnes organicae corporis partes digestioni opitulen-
tur? praeside L. A. LAVIROTTE Parisiis 1752. venti-
lata comprobat. Consentit i. cum *cute*: videmus ex-
anthemata, quae in *cute* effloruerant, cuiuscunque
etiam fuerint generis, repulsa, non sine ingenti pe-
riculo ad ventriculi & intestinorum tunicas migrare,
vbi ferales spasmos, tormina, anxietates, constrictio-
nes alii & inflammations efficiunt: quare etiam omnia,
quae spasmus in ventriculo concitant, vt sunt pur-
gantia & animi pathemata in exanthematicis morbis
admodum periculosa esse, obseruantur; quandoquidem
constricta ex consensu simul ipsa *cute*, acris illa exi-
tialis materia ad interna ipsasque nerueas ventriculi
& intestinorum membranas reuocatur. Saepius quo-
que obseruauimus ab indusiorum, praesertim si frigi-
da & humida fuerint, mutatione, in sanis etiam ven-
tribus inflammations ortas & inquietas noctes reddi-
tas fuisse. Quo patet, quam grauem noxam eiusmodi
improudus ausus in morbis, quorum materia per
summam cutem expelli debet, producat. Quandoquen-
que dolor ventriculum vel intestina torquet, pori cu-
tis clauduntur, & nihil sudoris effluit, extrema re-
frigerantur: meatibus vero cutis rursum apertis, cer-
tum indicium est, doloris aut alii fluxus adesse fi-
nem. Ventriculi ardor & transpirationis negotium,
hinc cutis volumen, magnam inuicem habent consen-
sionem. Cardialgiam in bibone chronicam zona ven-
trali

trali fato quodam solutam vidit KLEINIVS cit. p. 80.
 2. Eius cum *vniuerso corporis nostri neruoso systemate*
 consensum arctissimum docent obseruationes medico-
 practicae quam plurimae: ventriculo enim male se
 habente, & grauius laeso a quacunque etiam causa id
 fiat, protinus inde vniuersum neruorum sistema of-
 fenditur; hinc HELMONTIVS sensitiuae animae sedem
 in ventriculum collocavit. Docent idem casus eorum,
 qui percusso fortius pugno, vel duro alio instrumen-
 to exterius cordis scrobiculo, sub quo pylorus recon-
 ditur, cito perierunt, inuenta post mortem nulla lae-
 sionis mortiferae notae, sed macula tantum ex flavo
 rubra circa extremitatem diaphragmatis & superius
 ventriculi orificium. Cardiam (orificium ventriculi
 finistrum) ictu laesam, iuueni ac aurigae cuidam mor-
 tem violentam intulisse, testatur HELMONTIVS. Id-
 circo ventriculus valde irritatus mortis repentini cau-
 fa esse potest; licet quoque alios morti proximos viui-
 ficare quasi valet. In aqua enim suffocatorum, per
 inflationem autem aeris, ac injectionem aquae in al-
 uum frigidae motus peristaltici exsuscitandi gratia a
 morte ad vitam reuocatorum, non desunt exempla.
 His scilicet adminiculis, intestinorum & ventriculi
 fere extincta irritabilitas magis magisque augetur, &
 per horum sympathiam vita amissa, motus cessantes,
 anima quasi efflata quodammodo reuocantur. Docent
 & idem operationes venenorum e vegetabilibus vel
 mineralibus defumtorum; ex eorum enim assumptione
 cardialgia, inanis vomendi conatus, singultus, pree-
 cor-



cordiorum anxietas, spirandi angustia, constrictio dia-
phragmatis, linguae ac faucium ariditas, inflammatio-
nis inexhausta, alui suppressio, flatuum retentio, dia-
rrhoea tormentosa, perpetuus ad vrinam emittendam
stimulus, extremorum refrigeratio, sudor frigidus, fa-
cies sic dicta hippocratica, artuum tremor, pulsus in-
termittens & suppressus, delirium, animi deliquium,
epilepsia, convulsio, inquieta corporis agitatio, quae
ordinaria sunt veneni assumti symptomata. vid. WEP-
FERI libell. de cicuta aquatica. Eandem cum vniuer-
so systemate neruoso sympathiam confirmant truculen-
ta illa mali hypochondriaci symptomata, quae in ven-
triculo, spastice contracto, incipiunt. Hic ventriculi
& intestinorum cum toto corpore consensus multis
etiam aliis exemplis euidens est. Philosophus cogita-
re desinit, ex sano insanus, ex animoso timidus, ex
hilari sit tardum ingenium, visus, loquela, auditus
corrumpuntur, subiecta florida marcescunt, deflore-
scunt, si nempe ventriculus & intestina maxime laesa
sunt. Ecquis omnia adferret testimonia consensum
& sympathiam ventriculi cum reliquis corporis par-
tibus probantia. 3. Caput cum ventriculo quandam
habere connexionem, nausea & vomitus a capitis vul-
neribus, ictibus, fracturis & commotionibus orti, o-
stendunt. Est vero hic renixus ex varia corporis dis-
positione varius. Ventriculo male affecto, flatibus di-
stensio, vertigo: nimis repleto, interdum apoplexia.
Porro hunc ventriculi cum capite consensum animi
affectus demonstrant, ita enim BAGLIVIUS pag. 565.
qui

❀ ❀ ❀ ❀ ❀

qui laborant animi pathemate potissimum corripi solent morbis ventriculi, vt inter cetera obseruauit in moerentibus, qui conqueruntur primo de languore ventriculi, mox inappetentia, oris amaricie, siti circa horas matutinas, cruditatibus, flatibus & tensionibus hypochondriorum. Eamque ob rem monet medicos, vt in morbis ab animi affectibus, prae ceteris, ventriculo prospiciant. Ira quoque potissimum operationem suam in ventriculum, duodenum & conexos ductus biliosos exserit; vnde frequentissime ii, qui ira excanduerunt, cardialgiam, contractionem circa scrobiculum cordis cum ardore, propensione ad vomitum, oris amaricie, & alui obstipatione experientur, atque tunc ex potu frigido ingestu malum hypochondriacum optime ante valentibus inductum, aut ex draftico emetico exhibito ventriculi inflammationem & ex hac mortem obseruauit FRID. HOFFMANNVS vid. Op. om. tom. I. p. 313. Quam graue damnum ex ardentis desiderio ventriculus experiatur, peculiaris ille, heluetis maxime familiaris, affectus, nostalgia dictus, testatur, quo apud exteros degentes tam impensu patriae desiderio tenentur, vt si patrios lares non repetant, appetitus prosternatur, digestio laedatur, flatus & ructus e cruditatibus gignantur, cardialgia accedit, & cum languore ipsum corpus emaciatur. Immoderationa studia, & nimia per speculationes animi defatigatio, incredibili modo debilitant ventriculum eiusque vim digestivam eneruant & robur auferunt; vnde acidae cruditates gignuntur, quae ad supprimen-

D

dam




dam aluum, ad progignendas flatulentias malumque
hypochondriacum primum fere fundamentum ponunt.
Ventriculi vicissim cum capite commercium demon-
strat etiam vertigo: hanc autem ex ventriculo etiam
producit vel ex eo cognoscitur, quod, ieunos maxi-
me haec affligat, sumpto vero cibo, minuantur, atque
postea per ea, quae primam regionem vehementer ex-
purgant & digestionem adiuuant, plane discedat, me-
minit etiam **LOMMIVS** lib. II. obs. suffusionis seu ca-
tarractae ex stomacho proficiscentis, & asserit talem suf-
fusionem intermittere & remittere, si, curata coctione,
prospectum stomacho est, inualescere & reuerti, si cru-
ditate labefactetur. Porro ventriculo bene se habente,
totum corpus alacrius est, somnus fit piacidus; si vero
onustus est alimentis incongruis, praesertim circa no-
ctem sumtis, somnus vel deficit, vel insomniis terri-
ficiis interturbatur. Ultimo nihil frequentius est, quam
quod ventriculo, vino non adeo bonae notae nimis
obruto, postridie atroces capitis dolores oboriantur.
Aphoni nonnunquam redduntur, ventriculo ab ali-
quo humore vel vermis obpresso ac laeso, quibus aut
sponte aut arte exclusis, liberantur, secundum **ALPI-
NVM.** Hypochondriacis hystericasque auditus vitia
sunt frequentia. Cardialgia & ventriculi ardor cum
hemicrania, arthritide, nephritide saepe numero al-
ternant. 4. Cum *oculis*: lipporum oculi digestio-
nis tempore dolent & rubent, & genae in aliis roseae
apparent. Quemadmodum venena assumta in reliquis
corporis partibus conuulsiones & spasmos concitare;
sic

sic etiam oculi per illa interdum spastice conrahi possunt, ita quidem ut a venenis diplopia oriatur. SAVVAGES de foemina afferit, quae propter foliorum hioscyami manductionem, omnia obiecta duplicata & gemina vidisset, nosologia method. tom. II. p. 193. Huc quoque illa diplopiae species referri potest, quam HENNEMANN a tabaci fumo sucto ortam vidit. Nec non diplopia ebriorum, quae post crapulam iterum cessat, his adnumeranda est. 5. Ventriculus consentit cum dentibus, nerui enim stomachici & intestinorum ex intercostali & octauo pari coaliti, cum pari quinto, cuius ramus ad maxillas & dentes fertur, communicationem habent: hinc est, quod infantibus ob gingivalis carnis ab erupturo dente lancingationem, non modo in capite conuulsiones, vigiliae & epilepsiae, in pectore asthma, sed & in inferiore ventre tormina cum alii vel adstrictione vel nimia eius fluxione contingant, & quod notabile est, foeces virides & corrosivae secedant. 6. Cauitas oris, larynx, pharynx, sensuum, odoris, visus, & auditus organa vario modo affecta & irritata suam vim & efficaciam in ventriculum & alia viscera abdominalia exserunt. 7. Ventriculi cum oesophago societas patet, quod a pluma vel digito tantum faucibus intruso, principium oesophagi irritante, protinus ventriculus ad vomitum stimuletur, & quando in ventriculo acris residet humor, vel inflammatio adest, oesophagus cum faucibus moleste constringitur, ita ut non raro copiosa aqua in os effundatur, quod vnum ex pessimis indiciis est. Infan-
 tibus



tibus quorum ventriculus faburra causticae bilis infarctus est, quaedam conuulsionis species molesta & fatalis est, dum ii, spasmo gulæ affecti, continuo deglutire coguntur, & certum sonum cum quodam singultu edunt, quae symptomata itentidem ab irritatione ventriculi, oesophago, faucibus & diaphragmate in consensum raptis, oriuntur. 8. Ventriculi actio in pectus ex respiratione difficiliori sub digestione & ex mammarum in lactantibus mutatione cognoscitur. Exquisitam enim ventriculus cum diaphragmate & pulmonibus fouet communicationem; quid enim familiarius est, quam in infantibus stomacho refrigerato, vel materia acri eius tunicis inherente, singultum concitari, qui thoracis est conuulsio? quid solemnius est, quam a cruditate ventriculum obsidente, vel sero acri, intra eius membranas detento tussim nasci conuulsiam, in infantibus non raro suffocatiuam, quae pectoralibus & dulcibus assumtis plus acerbatur, acriomoniam vero corrigentibus, emollientibus atque discentientibus nec minus lenioribus laxatiuis expugnatur. Quid porro crebrius occurrit in praxi quam quod a violenta tussi, vitio haerente in bronchiis, vomitus concitetur? nihil quoque frequentius est, quam quod ab inflatione ventriculi summa fiat spirandi angustia, cum suffocationis periculo, quod symptomata in infantibus, quorum ventriculus lacte corrupto infarctus est, saepius ita sunt comparata, ut leni emeticco, vel quae leniter alium dicit medicina, omne punctum curationis absoluatur. Quin in conuulsiva tussi

tussi ex stomacho, tantam pectoris vidi concussionem, vt sternutatio impetuosa & reiterata, cum ingenti sanguinis vel lymphae e naribus profusione, orta fuerit. 9. Cor etiam, cuius pulsus in digestione variant & augentur, cum ventriculo consentit. 10. Et qua ratione oeconomiam ventriculi turbent intestinorum membranae & vasa abdominalia, ex haemorrhoidum & intestinorum incommodis intelligere licet. Cum intestinis enim ventriculum consensum alere, docent sub atrocissimo intestini ilei vel etiam coli dolore vomitus tam vehementes, vt non modo in intestinis contenti humores, sed & ipsa stercore haud raro sursum ferantur. Cardialgia saepius haemorrhoidum fluxu soluitur, & eo intercepto, pluries nascitur. 11. Viscerum etiam abdominalium actionem reciprocam ratio & obseruationes docent. Bilis ex hepate, digestionis tempore, copiosius in duodenum effunditur. Ventriculi & duodeni confessionem cum biliaris ductibus docet quoque ex spasmo ventriculi & duodeni in tertiana febre, a vehementi vomitorio vel purgante, vel veneno assunto, nec non ex atroci dolore colico, oriundus icterus: vt & ab obstructione aut inflammatione vesicae felleae aut ductuum bilariorum nascitura inanis cardialgia, nausea, vomitus, cibique fastidium. Cuius consensus causa est duplex: α. Ductus cholidochus per duodeni membranas fertur. β. Dexter nerui intercostalis & paris octavi ramus qui ventriculum adit, ramum quoque ad hepar eiusque bili-feros canales mittit. 12. Splen an pleno ventriculo



prorsus minorem humorum copiam recipit. Ictericī
 & splenici pariter digestionis tempore suas perforunt
 molestias. 13. *Pancreas* morbosum (ventriculo reple-
 to in hypochondriacis) dolet. 14. *Renes* calculo af-
 fecti, nauseas, vomitus & ventriculi dolores efficiunt.
 In spasmis flatulentis ventriculi, qui affectione hypo-
 chondriaca & hysterica laborantes torquent molesta
 crispatura, itentidem ad renes pertingit; ita prorsus,
 vt, eorum tubulis constrictis, vrina alba mingatur
 quae certum fere paroxismi hysterici & hypochon-
 driaci imminentis indicium praebet. Cardialgia cum
 nephritide saepius alternat. Ventriculi ardor frequens
 symptoma hypochondriacorum nephriticorumque est.
 In hecticis, & crudis crebro accedit diabetes sympto-
 matica: secundum ETTMÜLLERVM & FORESTMV.
 15. *Vterus*, si male dispositus est, in catameniis,
 fluore albo, grauiditate, ventriculum in consensum
 trahit, & nauseam, vomitum, peruersamque digestio-
 nem producit. A cibis dyspeptis menstrua suppri-
 muntur. Cardialgia non raro mensium fluxu soluitur
 illoque rursus intercepto, renascitur. 16. *Ipsa viro-
 rum genitalia* sua habent cum ventriculo commercia;
 a glandularum enim in pene vellicatione acri, & a
 testiculorum tumore digestio in variis mutatur. Qui
 veneri nimis indulgent quandam ventriculi debilita-
 tem experiuntur. 17. *Extremitates* porro nisum
 suum in ventriculum habent, ruſtibus enim qui an-
 guntur, aut manu aut pede, quandoque tremunt &
 circa praecordia fremitum sentiunt. In melancholicis
 qui-

Quibusdam digestionis tempore crura & manus tremunt, stuporeque afficiuntur. Quibus extremitates amputantur in iis saepius doloribus & spasmis ventriculus irritatur. Quibus vlcera crurum manantia accedunt cardialgia liberantur.

§. XIII.

Hepar consentit: 1. cum capite: Cl. BIANCHI narrat exemplum cholericu*m*, qui fere semper, post iram vehementem, hemicrania vehementissima vexabatur, bilis vomitu cedente. 2. Cum diaphragmate, in paraphrenitide. 3. Cum ventriculo: scirrhosum hepar morbosum vomitum, nauseam, creat. 4. Cum intestinis: inde ab ictero interdum colica. 5. Cum renibus & vesica vrinaria: inde calculosi quandoque siunt icterici, & contra secundum BAGLIVIVM. 6. Cum cruribus: hepatis latentem vomicam intollerabiles cruris aut surae dolores, nullis remediis cedentes attulisse, per sectionem expertus est HOLLERIVS com. 2. ad lib. 2. coac. HIPP. fol. 348. Idem testantibus IACOTIO in coac. HIPP. & BAVHINO in obseru. BAGLIV. prax. med. lib. II. cap. 9. §. 12. SCHENCKIO fol. 451. abscessu femoris solutum esse scirrum hepatis constat ex ephemeredibus N. C. decur. 3. a. 2. obs. 56.

§. XIV.

Lien consentit: 1. cum toto corpore: confirmat id malum hypochondriacum ex obstructione lienis ortum. 2. Cum hepate: obstructo liene, obstruitur & hepar; obstru-



obstructo hepate obstruitur & lien. 3. Cum ventriculo: confirmat id vomitus cruentus ex sanguinis in lie-ne congestione, & per vasa brevia excretionem.

§. XV.

Intestina consentiunt: 1. Cum *vniuerso corpore*, ob mesentericos plexus: docent hoc truculenta illa vniuersi neruosi systematis pathemata, quae a vermisbus, teneras tenuium tunicas arrodentibus fuscitantur. Neminem enim, qui leniter in artis exercitio versatus est, fugit, inde pullulare in capite, epilepsiam, deliria, vertiginem, sternutationes, guttam serenam temporariam, aphoniam, surditatem & tinnitus aurium transitorium, in spinali medulla adspectu horribiles motus conuulsios & artuum agitationes, in corde & syste-mate vasorum febres, cordis tremores ac palpitationes; in pectore tusses, dolores qui pleuritidem mentiuntur; in ventriculo inappetentiam, inclinationem ad vomitum, ptyalismum & lymphae ex ore fluxum; in intestinorum volumine atrocia tormenta, in vrinariis viis ad vrinam stimulum, in extremis refrigerationes, manus pedumque contracturas: quae cuncta symptoma-ta primo adspectu admodum funesta, exturbata & specifico anthelmintico, pilulis nempe ex asa foetida, myrrha, croco & mercurio dulci paratis verminosa progenie, protinus sedantur & conquiescent. Colica sic dicta conuulsiva & passio iliaca, quibus intestina ileon & colon vehementi spasmo constringuntur, quot non atrocia & nonnunquam lethifera symptomata indu-

❖ ❖ ❖

ducunt? Febres, deliria, conuulsiones, inquietudinem, summas anxietates, animi deliquia, artuum contractio-nes, extremorum frigora, cum sudore frigido, & pul-su duro & contracto, vomitus, alui tantamque constipationem, vt nec clysterem admittat, nec flatum transmittat. Eiusdem indolis sunt acerbissima pathema-ta colicae metallurgorum. In cholera quoque, quando bilis caustica neruofos intestinorum parietes rodit atque grauius irritat, omne neruorum genus compa-titur, ac eadem plane, quam si venenum assumptum fuisset, prodeunt passiones, mortem celeriter arcessen-tes, quae non aliis, nisi demulcentibus oleosis, lactici-niis, aqueis mucilaginosis & antispasmodicis tolluntur. Id quod pariter de dysenteria, a consimili causa pro-gnata, notum est: nec non de vehementium purgan-tium assumptione. Sic F. HOFFMANNVS a propina-ta in puluere & pilulis resina ialappae non solum enormes cum acerbis doloribus deiectiones, sed etiam conuulsiones, epilepticas commotiones, quin & para-lysin dextri & sinistri lateris obseruauit. Sympathiam canalis intestinalis & viscerum abdominalium cum o-mnibus corporis humanae partibus quoque morborum periodicorum proximam & communissimam causam sta-tuit Cl. F. C. MEDICVS in der Geschichte periodischer Kranckheiten. 2. B. 3. Cap. Duo aperuit periodica apoplexia defunctorum corpora mortua, & cerebrum inuenit sanissimum, ventriculum autem & intestina magna bilis copia tincta. Hic apoplexiae causa in pri-mis viis, cause effectus in capite, loco remotissimo,

E erant.



erant. 2. Arcanus est consensus ab intestinis ad *ambitum corporis*: in colica pertinaci si sudor copiosus & frigidus superueniat, labefactatis & resolutis viribus, breui pares in exspectato: secundum **BAGLIVIVM.** Colica, diarrhoea & dysenteria in arthritidem mutatur & contra. Multis ante inuasionem paroxysmi podagrī superueniunt dolores colici, qui euaneſcunt, modo manifestata podagra. Soluitur colica ſudore largo, erysipelate, purpura, maculis scorbuticis, furunculis muscularum abdominis, ulceribus crurum manantibus, scabie. A subita vehementequa transpirationis suppressione tympaniten ortam fuisse, meminit Cl. D. **BAVMER.** 3. In specie cum *capite*: aluus dura ſolet eſſe iis, qui nimium facie rubent. Aluus adſtricta ſanguinem humoresque ad ſuperiora pellit; hinc ſemper capitidis morbos exacerbat; contraria prodiſit aluus lubrica. Aphonía & vox rauca haud raro prodromus conuulsionum epilepticarum in colica eſſe ſolent, secundum **BAGLIVIVM.** Auditum diſſicilem perio dicum ex ſpasmo imi ventris, fragore quodam in aure eminus percipiendo ſemper ſolutam notauit **KLEINIVS** in interp. clin. p. 35. Colicam ſpasmodicam vertiginosi affectus frequenter praecedunt, aut ſequuntur. Nec raro colica in epileptiam vel paralyſin definiſt: secundum **AEGINETAM.** 4. Cum *ore* & *oesophago*: is consensus ex fumi tabaci ore ſucti efficacia purgante patet. Patet & ex aphtis in dysenteria ſaepius obſeruatis. Colicam haemorrhoidalem excretione cruris grumofisi per os naresque ſolutam notauit **KLEINIVS**

l. c.

1. c. 5. Cum ventriculo: hunc attestantur vomitus ex quam pluribus colicae speciebus. Vix fit diarrhoea, nisi simul compatiatur ventriculus: secundum WEDELIVM. 6. Cum renibus: in primis coli connexio cum renibus efficit, vt fiat colica & vomitus nephriticus, vt etiam vomitus continuus, & dolor in regione renum fixus, praecipuum sit calculi renalis signum. Sæpe fatus intestinorum mentiuntur calculum. Magnam intestina inter & renes esse sympathiam, dudum dixit REGA. In diris ventris cruciatibus vrina sifistitur. Haemorrhoides, calculus, arthritici affectus, affines sunt passiones atque inter se alternantes. 7. Cum utero: diarrhoea saepe cum euphoria lochiorum, fluoris albi, mensium suppressorum vices supplet. Diarrhoeae abortientium & puerarum non sunt periculose, dum lochiorum vices supplent, vel materiam lochiorum per vicina loca optime minunt: secundum BAGLIVVM. 8. Cum artubus: inde motus manuum & pedum depravationes a colica pietum. A frigore pedum alius obstinacior soluitur, secundum GALENVM. In vehementibus articulorum doloribus alius supprimitur.

§. XVI.

Renes consentiunt: 1. cum pestore: diabete labrantes interdum peripneumonia extinguuntur. 2. Cum ventriculo: hinc vomitum illum continuum a renum calculo deriuo. Vomitus iste non a causa in ventriculo haerente oritur, sed ventriculus propter renes in

E 2

con-





consensum ex conspiratione neruorum trahitur. Si enim ad neruorum, conspirationem animum dirigamus, plexus illi neruorum, ad ventriculum, oesophagum, mesenterium, renes recurrentes non modo vniuersaliter eandem radicem ex cerebro & medulla oblongata agnoscunt, sed propius adhuc circa dictas partes inter se cohaerent atque conspirant, quemadmodum plexus neruosi abdominis in varias ramifications sese diuidunt, quarum aliae ad ventriculum, lienem, hepar, aliae ad mesenterium, capsulas atrabilarias, ipsosque renes abeunt; vnde conceptu facillimum est; spastice tracto uno neruorum plexu, alterum quoque in consensum trahi; ideoque motus illos tractorios a renibus ad ventriculum facile diffundi iisque communicari. 3. Cum colo: vti dixi & ceteris intestinis: hinc, intestinis flatu extensis & spasmo contractis, etiam renalium tubulorum spasmus, vrina tenuis aquosa. Reni calculis affecto, colica nephritica, ac cholera iunguntur. Bonum in lienteria signum est, si vrina larga: secundum HIPP. Diabetes symptomatica frequens est hysterics hypochondriacis, eamque periodicam a saburra coli renem comprimente sinistrum obseruauit HOFFMANNVS. 4. Cum partibus inferioribus: laccesis enim & compressis a calculo renum neruis lumbribus, in consensum trahi crura, vt dolore, & stupore afficiantur, etiam in vulgus notum est.

§. XVII.

Vesica vrinaria: in huius calculo adest in glande
penis

penis dolor pruritus & irritatio continua; hinc eam inter pathognomica & certissima calculi vesicae signa retulerunt auctores. Vrinae retentio diurna saepe creat *testium retractionem.* Ischuriā sequitur coma somnolentum, restituto vrinæ fluxu, hoc protinus cef-sat; ergo consentit vesica vrinaria cum *capite.* Quidam ob totalem vrinæ suppressionem in hydropem pectoris incident, secundum **BAGLIVIVM.** Qui incident in lethalem vrinæ suppressionem, corripiuntur stupore mentis, tremore, conuulsionibus ac rigore vniuersali, febre demum, paralyfi, aliisque neruorum morbis, delirio, apoplexia, veterno profundissimo, hydrope pectoris, secundum **BOERHAVIVM.**

§. XVIII.

*Vterus, vtpote plurimis neruis instructus & exquisitissimo sensu dotatus, consentit 1. cum *cute:* fluorēm album chronicum per sudores nocturnos foetidos, largissimos, in foemina obesa perfecte curatum nouit,* KLEINIVS cit. p. 112. *Fluor albus venereus suppressus infert decubitus ulceroſos scabiososque.* 2. *Cum toto corpore: sic iam HIPPOCRATES sect. III. aph. 44. inquit: profluens alias sanguis ab vtero & premens septum transuersum suffocationem: in caput irruens, insaniam, epilepsiam, catochos, apoplexias: occupans thoracem, tussiculares effectus: irruens in cor, palpitationes & tremores, nonnunquam syncopes: in neruis denique faciei stuporem, immobilitatem & resolutiō-nem gignit.* Nemini sane, paulum faltem in curandis



mulierum affectibus exercitato, ignotum est, quam praua symptomata vteri affectiones concident: quam stupendas animi aberrationes, deliria, melancholias & furores, tanquam incantamento fascinatis, affectus vteri praeter naturales incutiant: quot etiam morbos aegre curabiles menstruorum deprauatum profluuium, aut veneras usus diu nimis intermissus valdeque desideratus, inducunt. Ut non immerito DEMOCRITVS dixerit: vterum mulieribus sexcentarum aerumnarum causam existere. Et sapienter HIPP. (lib. de loc. in hom.) vteri omnium morborum muliebrium sunt causae. Epilepsia, vertigo, coecitas, surditas, aurium tinnitus in grauidis facile recurrere solent; post partum ut plurimum remittunt. 3. Cum oculis: exempla foeminarum ex mensium suppressione coecarum ex BLOCHIO supra iam notaui §. X. Foeminam quamdam quotiescunque grauida esset, totiescunque in ultimis octo gestationis suae diebus coecam factam, post partum vero semper visum perfecte restitutum fuisse, ita quidem ut ne minima debilitas remaneret, D. SCHMVCKER obseruavit. vid. vermischtte Schriften 2. Band. Berlin u. Stuttg. 1779. Alia per longum tempus morbida foemina nobilis ex mensium suppressione vehementer narium haemorrhagia vexata, per usum soteriae egranae curata fuit. Post animi varios adfectus, ac diuturnos fletus, eadem illa odontalgia tanta ac vehementer correpta fuit, ut tenaces permulti humores ex mala sinistra, dentem inter caninum & molarem profuerent. Hoc in statu oculo sinistro obiecta duplicata conspiciens,

ve-

❖❖❖❖❖

vesicatoriis curata fuit. Elapsis aliquot hebdomadibus, lumina huius oculi plane quidem amittens, ad tempus tamen restituebatur. vid. ephemerid. N.C. dec. 1. a. 8. obseru. 62. 4. Cum auribus: auditum difficilem periodicum ex mensibus laboriosis, succedente eorum fluxu, semper iterum depulsam notauit KLEINIVS in interp. clin. p. 35. Nec defunt casus post obauditio- nem periodicam ex aure sanguinem menstruum ordinatim fluxisse. 5. Cum ore: halitus enim foetens menstrua-retenta quandoque sequitur. Grauiditatis tanquam criterium mulierculae adferunt odontalgiam, ac ptyalismum. 6. Cum lingua: aphonya in grauidis post partum cessat: comm. litt. Nor. 7. Cum pectore: foemina duobus vltimis suae gestationis mensibus, cubitum vespere iens, frigus quoddam circa cor sentiebat, animi deliquium saepius mentiens, postea tamen illud cessabat. vid. FABER traité d' observations de chirurgie a Avignon 1778. 8. Cum mammis: hinc enim mammae foeminis pubescere incipientibus tument & instantibus menstruis increscunt, grauiditatis vltimis diebus, a mola, & vtero inflato, lacte implentur, lochiis retentis, mammarum dolor & spasmus oriuntur: illis restitutis, hi cessant. Papillarum color in liuidum mutatur a conceptu: ab abortu mammae detume- scunt. Glandulae mammarum & vteri magnum ha- bent nexus & cancer in alterutro habitans. 9. Vteri cum ventriculo: consensum in primis demonstrat grauidarum pica, nausea, cardialgia, vomitusque mox post conceptum. In quibusdam etiam symptomata haec per



per totum fere gestationis tempus perdurant. Quae puellae ante pubertatem appetitu inordinato laborant, illae, succedente mensium fluxu, saepius ab illa liberantur, quae vero iam menstruatae, vel anomalam experiuntur menstruorum fluxum, in iis difficilis iste sanatu est. Ex fluore albo suppresso, cardialgia non infrequens est. 10. Cum *intestinis*: inde in parturientibus colici dolores, in colica dolores illorum parturientium aemuli obseruantur. Fluor albus suppressus gignit saepe colicam; colica vicissim sanguinis vel seri profluvio soluitur. 11. Cum *renibus & vesica*: fluor albus suppressus saepe gignit dysuriam, aliaque renum, in primis vesicae mala vlcera. 12. Cum *ano*: tenesmus in grauidis ex motu haemorrhoidali vel ex vteri pondere, foetu enixo, cessat. 13. Vteri cum *artibus* nota est *sympathia*: hystericae enim facile fiunt arthriticae.

§. XIX.


Pedes consentiunt 1. *cum cute*: plantae pedum & manus maximum inter se consensum alunt: si sub sudorum effluvio manus vel pedes nudentur & frigori exponantur; statim minuitur & supprimitur sudor, prouti rarioris aut strictioris texturae fuerit aegrotus; difficile sudantibus, apposito plantis pedum latere calefacto, mirifice sudor promouetur. Quoad prognosticum vero in malis ex pedum frigore & affectionibus formandum, vid. s. MAGNVS (de vistu no. 10. 30. 42. & 43.) ubi ait: quibus in febribus perpetuo aliud liquida est, his praecipue pedes calefacies, & ceratis in-

* * * *

integens & fasciis oboluens, animum animaduerte,
vt ne sint reliquo corpore frigidiores: si vero calidi
sunt; nullum adhibe calefactorium, sed conserua, ne
perfrigerentur. Et (no. 4. de diebus iudic.) refert pe-
culiare iecoris morbum, in quo pedes fere semper
frigidi sint. Ex vlceribus pedum intempestive conso-
lidatis plures morbos periculosos ortum traxisse, &
plures quoque, vlceribus in illis sponte exortis vel
arte factis sanatos esse, ex copiosis medicorum obser-
uationibus constat. Sic D. SCHAAERSCHMIDT epilepti-
cae ex vlcere pedis sanatae casum retulit. 2. Cum ca-
pite: nerui enim, cruralis anterior, ex IV superiori-
bus lumborum paribus oriens, & ischiaticus vel cru-
ralis posterior ex duobus vltimis lumborum & IV of-
fis sacri maioribus paribus originem sumens, extremi-
tibus inferioribus neruorum distributiones prospicien-
tes, mutuam inter caput, & pedes consensionem satis
testantur. Ex quo iam facile patet, quare digitorum
in pedibus immanem dolorem spasmus cynicus quan-
doque subsequatur, & quare ex pedis pollice epilep-
sia non raro originem capiat dum spasmus ibi incipiens,
successive adscendit, & primo ad abdomen, postea
ad pectus, tandemque ad caput delatus, abdominis
tensiones, praecordiorum constrictiones, pectoris oppres-
siones, aphoniā, denique conuulsiones & epilepsias
producit. Sensum quasi venti a pollice ad caput sursum
ascendere ac eleuari aegroti se sentire autumant; quae
tamen sensus est fallacia. Ceterum de sympathia pe-
dum cum capite, corde, musculis laryngis, auris, pul-

F

mo-



monibus, intestinis, HILDANVS scitu necessaria vterius declarauit. 3. Cum *intestinis*: insuetis dolores ventris ac diarrhoeas ambulationem super paumentum frigidum nudis pedibus factam excitare, his autem calefactis iterum illos desinere, vulgo notum est. Dolorem colicum mutari in arthriticum, huncque colica aut diarrhoea superueniente solui, & diarrhoeas diutinas, irritis aliis, dolore arthritico, pedum doloribus promptissime sanari, vedit & annotauit BAGLIVIVS prax. med. lib. I. de colica. Alui profluuo vna cum tussi longo tempore qui detinentur, non liberantur, nisi in pedes dolores vehementes inciderint: secundum HIPPOCRATEM.

§. XX.

Iam causas huius conspirationis quod attinet, sunt hae: *animae cum corporis commercium*, cuius modum legesque adhucdum ignorant philosophorum medicorumque acutissimi. Omnes partes corporis humani quae sunt *eiusdem generis*, habent peculiarem praereliquis consensum, ita ut si unius actio mutetur, simul actio omnium aliarum eiusdem generis alteretur; nisi forte singularis aliqua causa eum consensum impedit; regula haec est ex perpetua obseruatione deducta: consentiunt *nerui* omnes cum omnibus *neruis*, *arteriae* cum *arteriis*, *venae* cum *venis*, *glandulae* cum *glandulis*, *musculi* cum *musculis*, *membranae* cum *membranis*, *serosa vasa* cum *serosis*, & sic porro. Ex innumeris exemplis huius regulae pauca adducam.


§. XXI.

§. XXI.

Vnius nerui ramo puncō, conuelluntur omnes partes quae ab eo neruo habent ramos, quin haud raro totum corpus; omnes enim neruorum surculi, ab eodem ramo enati, retis extensi ad instar se habent, & araneae telam imitantur, vt si vis aliqua vel vni neruulo impressa fuerit, reliqui omnes ob perpetuam connexionem motu suo eandem simul admittunt. Totius inde corporis consensum ex neruis iam dudum WILLISIVS probauit, & inter recentiores multis exemplis confirmauit Cl. R. WHYTT. Hicce consensus est reactio sensorii a sensatione physica praegressa excita ta. Fit nempe in sensorio sensus, in mente perceptio. Sic fumus tabaci, etiam non adeo magna quantitate ore haustus, quas non ingentes anxietates cū sudore frigido, faciei pallore, vomitione, nausea, ad animi vero vsque defectionem, in insuetis producit. Sic effluvia stupendae licet sint exiguitatis, quae ex suaveolentis, moscho, zibeto, floribus iasmīni &c. exhalant, tanta attamen efficacia pollut, vt foeminas in primis hystericas quibus maxima neruorum sensibilitas, vehementissime affligant, syncopen inferendo, usum vitae ad tempus suspendant, corpus humi prosternant, vel graues anxias & suffocatorias pectoris oppressiones & spirandi angustias concident; quae adspectu horrenda symptomata, foetido naribus admoto vapore, ex tempore & miraculi instar, fisti possunt, eam videlicet ob rationem, quod exhalationes foetidae contrarium sua ueolentis effectum, nempe sedativum, in iis exferant:

F 2

etenim



etenim quando vapor, odore per nares suscepus, neruorum ramulos, ex quinta coniugatione prodeuentes, praeter naturam afficit, protinus huius insoliti motus communicatio, mediante pari intercostali & octauo ad fauces, ventriculum, cor & pulmones propagatur; unde horum symptomatum ratio petenda. Sic nerui cutis, materia caustica, vti arsenico, oleo tabaci, succo hellebore albi, vel venenato viperae, scorpionum, canis rabidi morsu, tacti irritatique, in quas horribiles vniuersum neruorum sistema coniicit commotiones; unde acerbissima saepeque lethalia oriuntur symptomata. Febris enim, syncope, sudor frigidus, faciei pallor, vomitus, nausea, flauus faciei color, artuum conuulsio, mentis emotio, alui pertinax constrictio, vrinae suppressio, summa anxietas, inquietudo, spirandi difficultas, non nisi affectus sunt praeter naturam & supra modum generis neruosi excitati. De hac re legatur obseru.
80. cent. 6. Cl. HILDANI, qui refert, virum robustum, qui tumore canceroso laborauit, & cui chirurgus puluerem ex arsenico applicuit, mox in dolorem vehementem, vigiliam, febrem ardentem, & continuum cibi fastidium, ac vomitum incidisse, & tandem delirio & syncope exortis, intra paucos dies mortuum fuisse. Similem neruorum in toto fere corpore consensum docent obseruationes aliae memorabiles eiusdem HILDANI: sic hepate male affecto, etiam patitur pulmo a neruis pari vago ipsis communibus. Sic maxime notabilis inter pylorum & cor consensus. Sic ob communicationem neruorum stomachalium & intestina-

❖ ❖ ❖

finalium cum pari quinto a ventriculi spasio validiori, qui est vel a veneno, vel cathartico, vel emetico fortiori dato, facies fit hippocratica, tempora collabuntur, vultus pallescit, & nasus acuminatur. Nervis etiam gastricis qui cum omnibus corporis partibus nexum habent, magnus ille ventriculi cum uniuerso corpore consensus debetur. Hinc ventriculus in digestione omnes vires ad se deriuare videtur, donec irritatio a cibis ventriculo illata definat, nec motus nervosi distributioni haec amplius obstet. Habent & animi pathemata, propter nervos, quibus anima in functionibus vtitur, in ventriculum eiusque digestiōnem, influxum: exinde enim variorum alimentorum appetitus suboritur, & ventriculus eodem modo his vel illis alimentis delectatur, vel ab iisdem abhorret, quo oculus ab his vel illis coloribus vel recreatur vel laeditur. Quando ventriculi vacui collapsus aliquatenus instat, famis sensatio excitatur, & cum eius tono fatiscente, corporis vires quoque collabuntur. Si sub imperfecta assumptorum digestione noua alimenta ingerruntur, varia incommoda, dolor capitis & febricula oriuntur.

§. XXII.

Quanta mala medullae spinalis nervorumque per consensum laesiones secum ferant ex sequenti casu, secundo calend. iun. anni MDCCLXXIX. contingente, non obscurum est: architecti cuiusdam dorsum affer ferrro longo acutoque praeditus ita incidebat, vt dictum ferrum vulnus angustum integumenta communia, mus-

F 3

culos,



culos, vertebram dorsi tertiam penetrans illi infligeret; ita ut stilus vulneri immisus ultra tres pollices fese demitteret. Statim post acceptam laesionem, nullum ominosum symptomata, nisi femoris & pedis dextri paralysis obseruabatur. Praescriptis auxiliis chirurgico-pharmaceuticis, decretaque simulac spasmi se manifestarent, vulneris dilatatione, vulneratus sic fati recte se quin membrum paralyticum meliuscule se habere, videbatur; nisi quod alius iusto segnior erat. In ipso vulnere aliqualis suppuratio conspiciebatur. In hoc statu usque ad vesperam quarti ante nonas iunii dies aegrotus manebat, quo rerum facies subito se in pessimam commutabat, horrore febrili, & vehementibus capitis atque extremitatis inferioris dextrae doloribus exorientibus. In ipso vulnere eiusque ambitu nulli quidem spasmi comparebant, sed ex illo magna seri tenuis copia effluebat. Aegrotus maiore sensim anxietate vrgebatur, per interualla delirabat, praeter paucum potum, nihil, & denique ne hunc quidem deglutire potuit, pulsus admodum debilis erat, & tertio ante idus eiusdem mensis fatis cedebat. Sub corporis mortui sectione, remotis integumentis & musculis, laesio in latere dextro articulationem vertebrarum dorsi secundae & tertiae, ipsamque medullam spinalem penetrans atque usque ad articulationem vertebrae tertiae & quartae, in sinistro latere, pertingens detegebatur. Vulnus respectu figurae ferro laedenti prorsus simile, nec obstructum erat: theca medullae spinalis membranosa nulla inflammationis signa, sed con-


conditionem naturalem prae se ferebat; attamen in dextro vertebrae dorsi quartae latere, paucum serum tenue loco errans, illique quod vltimis morbi diebus ex vulnera effluebat, prorsus simile reperiebatur.

§. XXIII.

Rami *vnius arteriae* inflammati excitant coniunctum motum inflammatorum febrilem totius systematis, & crustam sanguinis inflammatoriam vbiique generant. Sic quando pulsum *vnius arteriae* e. gr. in carpo explorauit medicus, certissime, caeteris paribus, tunc ex huius motu concludit ad statum omnium arteriarum totius corporis: inde magnus inter lienem, hepar, ventriculum & intestina consensus. Sic etiam inter mammas, partes genitales, vterum ac vocem est consensus. Sic arteriarum mala cordi communicantur. Sic colo inflammato aut renibus, aegroti vomunt. Sic pleurae inflammatio ad pulmones facile progreditur. Sic mulieres febre praesertim maligna laborantes, eodem tempore vel affectibus hystericis vel inordinato menstruorum fluxu porro affiguntur; nimirum quia in feribus arteriae, sanguinem efferuentem in uteri substantiam ingerentes, efficiunt, vt eius fibrae, leuissima quaque de causa irritabiles, sese, vt hostem excutiant, valide contrahendo, motus enormes in finitimis partibus concitent, sanguinemque simul exprimant.

§. XXIV.

Glandula vna affecta plures eiusdem generis etiam affi-



afficiuntur. Quatuor habemus glandularum genera, v. gr. *simplices*, seu folliculos glandulosos, qualia sunt sebaceae, mucosae &c.; hinc horum excretione subito suppressa in unica parte, v. gr. manu aut pede, quando haec partes aeri frigido aut aquae gelidae committuntur, contingit, ut excretio supprimatur in toto habitu externo & inde illarum morbi sequantur. *Compositae*. *Conglobatae*, haec etiam habent consensum cum reliquis sui ordinis, v. g. infans atrophia consumitur, abdomen tumet: sed an etiam *conglobatae* mesenterii sint obstructae videmus ex variis glandulis in extremitatum articulis & collo tumefactis vel exulceratis: sic ex his etiam in phthisico concludimus ad phthisin scrophulosam; tuffis adeat siccata, videmus glandulas colli tumidas; ergo glandulas etiam in pulmonibus tumefactas esse, concludo. In quartana a fero viscido glandulae colli & inguinales tumere solent, ex quibus consimilem aliarum statum auguramur. *Conglomeratae*: ita in febribus os siccum siccitatem plurium corporis partium & harum glandularum obstructionem designat, suamque lympham tunc fundere nesciunt: quam primum vero salvia in ore regenerari incipit, etiam *lympa* ex glandulis iterum effluit.

§. XXV.

Tensio & durities *muscularum* abdominis declarat alios musculos similiter se habere; quare ad hypochondria tensa **HIPPONCRATES** toties respicere iussit. Sphincteribus cunctis relaxatis concludimus ad plures musculos

105

los relaxatos. Paraly sis, quin & spasmus cynicus labii inferioris per consensum oriri potest ex laesioris platis mamo ydis. Maxillae inferioris alleuatio interdum impeditur a contusione & paraly si musculi temporalis vel masseteris. Dolor pubis testiculorumque consensualis a percussione pectoris oriri potest a musculi obliqui externi abdominis prope suam originem contusione; quia iste tendinem suum pubi inserit; tendo hic funiculum spermaticum praemendo, dolore testiculos afficit. Impossibilitas humerum deorsum retrorsumque mouendi a percussione ossis sacri, ani scalptoris laesioris indigitare potest. Colli flexio dolorosa a percussione vertebrae quintae dorsi, laesioris musculi recti colli ex eadem vertebra orientis pro causa interdum agnoscit.

§. XXVI.

Vnius membranae spasmus coniunctum habet spasmus membranarum connexarum; ex solis saepe flatibus membranas intestinorum extendentibus, frigoris sensus in cute externa, transpirationis suppressio, vena pallida, respiratio anhelosa oriuntur; dum febrile frigus ex hac causa vniuersam cutim conuelit; tunc oleum stillatitium caryophyllorum epigastricae regioni illitum, horroris remissionem procurat. Ventriculus sic consentit cum oesophago, atque si aliquando contingat, vt vna talis pars cum reliquis non consentire, suamque mutationem reliquis non communicare videatur; tunc peculiaris quedam causa subest, quae hanc exceptionem facit, ita v. gr. reliquis glandulis

G

suam



suam lympham bene fundentibus, vna forsan scirrhosa adeat: omnibus musculis spastice tensis, vnum, quia ex singulari causa paralyticus est, istud commercium respuit.

§. XXVII.

Tela cellulosa per totum corpus continuata: haec tela cellulosa ex cellulis fibrosis constat per patula orificia inter se inuicem conspirantibus, quae non modo inter cutim & musculos, verum etiam in ipsa muscularum interstitia, & inter eorum fasciculos penetrant, omnibus membranis corporis intertexitur, viscera fere singula ambit & in eorum parenchyma penetrat. Haec tunica igitur vna & eadem est per totum corpus diuersa, omniumque corporis partium communicationem facit; quare in statu morboſo per hanc tunicam cellulosa humores facillime ex loco in locum mouentur, igitur supra citatus T. BORDEU in laudata supra dissert. textum hoc cellularare pro syste- mate, aut organo generali, habet. Ita scimus certissimis obseruationibus, quod serum quandoque in hanc tunicam modo praeternaturali intrat, oedemata facien- do, quin & hydropem anasarca. Saepe subito in alias partes longe remotas, v. gr. ex pedibus in ab- domen, pectus, caput, ex his iterum ad pedes vel brachia commigrare, paruoque temporis intervallo va- rios morbos, pro viscerum & partium differentia, dif- ferentes producere: dein eadem celeritate, qua intrauit has nouas sedes iterum derelinquere soleat. Si- militer pus, ichor, flatus, venenum, in hac tunica,

xi

si haereat, hinc inde facile mouentur, ex ipsis visceribus ad externa defluunt loca, & ab externis in viscera resorbentur; quare per hanc tunicam reuulsio ex internis partibus ad cutim externam possibilis est. Inprimis autem haec tunica arctum cum pulmonibus consensum habet, vt phoenomena asthmatis & hydro-pis docent, & optime exposita sunt a LITTRIO & DUVERNAY in monument. acad. Parisi. de hydrope. Consensum etiam viscerum abdominalium cum reliquis partibus, quae corpus nostrum componunt, Cl. ROBERT (recherches sur la nature de l'inoculation de la petit verol. 12. a la Haye 1763.) per telam celulofam explicare annititur, quae, per totum corpus distributa, vbiique inter se communicat.

§. XXVIII.

Vis actiua quae solidis corporis nostri viui, verissime inest, variis insignita fuit nominibus: HIPP. ἐνογύων, GALENO *calor nativus*, BOERHAAVIO *elasticitas viua*, HALLERO *irritabilitas*, GAVBIO *vis vitalis* dicitur. Ultimum mihi nomen videtur conuenientissimum; vtpote omnem solidi viui vitam, omnem ejus actiuitatem & sensibilitatem & irritabilitatem una comprehendens; est etenim ea insita solidi viui proprietas, qua id irritatum, aut a stimulo quoconque tactum, lacescitum, sensibile sese contrahit, crispat, palpitat, alterne agit & remittit. Comprehendit igitur facultatem quasi sentiendi, qua solidum viuum actionem stimuli suo quodammodo percipit, & mouendi,

G 2

qua



qua id sese contrahit, vim vi opponit, ac veluti repellit, quod quietis suae statum turbat. Ad ultimam in primis facultatem attenti fuerunt, qui irritabilitatis vocabulo vni sunt. In primis vim hanc explicauit pas- sim HALLERV. Diuersa est primo ab *elasticitate physica* vtpote quae 1. debilis a mechanicis legibus pen- det: cum contra nostra proprietas ex specialiori animalium physica explicanda, eas causas efficientes ar- guit, quae in vulgari virium motuumque theoria lo- cum non inueniunt. 2. Physicus ille partium elater post mortem tum in toto corpore tum adhuc in par- tibus persistit; minime vis nostra; quae cum partis morte perit. 3. Elastica dicitur fibra, quae digitis tracta, cessante vi trahente, se ipsa in priorem resti- tuit statum: vitalis vero, quae ab externo aliquo con- tractu fit breuior. Diuersa & est vis nostra a *vi ner- uea* adeoque a sensibilitate; quae a solis neruis de- pendet, & cuius mens respectu sensuum conscientia est. Nam vis nostra $\alpha.$ sine mentis conscientia agit, $\beta.$ nec obedit voluntati, $\gamma.$ in partibus de corpore viuo re- fectis aliquamdiu supereft. $\delta.$ Praeterea siccatione, con- gelatione, & in viuo quoque animali, dato opio ali- quatenus vel prorsus destrui potest: ergo iure *corpo- ri*, non menti, tribuitur. Cum vero eiusdem actio non adeo in *humoribus* quam in *solidis* sese manife- stat; his potius, quam illis, eam insidere creditur. Hanc vero nostram vim per vniuersum corpus vi- uens diffusam esse, vero consentiens est. Ratio tam- men & experimenta docent, eam non aequabiliter
in

❖ ❖ ❖

in singulis partibus vigere; in molli fibra reperitur vegeta; in indurescente imminuitur & sensim euaneat: aliis partibus, veluti vitalibus, inprimis maxima, acutissima, tenacissima infidet: cordi, intestinis, ventriculo, diaphragmati, musculis quasi propria est. Ceteris partibus diuersimode minor inhaeret, tum respectu efficacie, tum durationis, nonnullis etiam minima, quae vix aperte se prodit. Maximi ergo & physiologis & pathologis momenti hoc motus principium est. Eius causam indolemque haec tenus quidem incognitam dolemus & iterum dolemus: eius effectus in nobis sanis & aegrotis nullus non videt. Multuariae inde in viuo corpore vires motrices oriuntur. Motuum vitalium, cordis, vasorum, diaphragmatis, peristaltici princeps est fundamentum: inde horum motuum nulla animae conscientia, nullumque animae in eos imperium. Functiones naturales vitalibus maxima ex parte nituntur; actionibus enim vitae debilissimis, vt in phthisi, naturales tandem ita decrescent, vt neque concoctio, neque chylificatio, neque nutritio, neque secretiones amplius procedant. Haec omnia etenim a sanguinis circulo mediate vel immediate dependent. Animalis quoque vis, quae sensus & motus voluntarios regit, cum vi vitali communica, & haec vehementer affecta illi pro irritamento esse potest, & contra: nulla ergo in corpore functio principii vitalis influxu impune carere potest, vis vitalis vbi debilis in toto corpore, ibi sensus hebetes, motuum animalium torpor, animi affectuum tarditas,



digestio alimenti & assimilatio difficiles, lentae, mala; magnam igitur in toto corpore inter functiones haec vis efficit conspirationem, magnum & inter vias partes, quo sibi mutuas suppeditias ferunt, consensum fovet. Parte vna irritata, & altera mouetur, imo turbae inde in vniuersum corpus saepius redundant. Principalis quoque est potentia, qua nittitur natura humana conseruatrix, destruatrix, medicatrix. In corpore fano moderate agit, effectusque prodit suo corpori conuenientes, ad ipsius conseruationem vergentes: nutritionis opus ipfi primario debetur. Magis tamen in morbis ipsius effectus obseruare licet. In eam dum agunt stimuli morbos, aliae atque aliae nascuntur affectiones, prouti diuerso eius gradu homo ab homine, pars a parte discrepat. Elucescit inde, cur tam varia priuatarum consensionum differentia inter homines occurrat, aliique p[ro]ae aliis magis, neque omnes eodem modo, sympathice afficiantur. Incitata praesenti malo & a rebus nocuiis irritata, acerime insurgit, inque enormes, irregulares, beneficissimos, mireque in salutem vergentes, saepe quoque nocentes, plerumque abripitur impetus, vt mali insultibus sese opponat, corpusque suum defendat. Exemplo sit dolor, huius causa partis affectae vis vitalis partem hanc non solum tremulis fibrationibus concutit; sed & tensiones, spasmos, excitat, humores hic congerit, eorumque affluxum auget, liberum transfluxum impedit, atque frigori, calori, inflammationi, gangraenae, insensibilitati, torpori inducendis aliquatenus cooperatur.

§. XXIX.

❖ ❖ ❖ ❖ ❖

§. XXIX.

Partium *vicinitas*; quando immediate sese sedes morbi contingunt. Vicinitati sympathiam inducendi potestas neutiquam deneganda est; id enim quotidiana commonstant experimenta; & ipsa rei natura manifestum facit. Adeſt agens, adeſt ſimul quod ab ipſo patitur, adeſt per viciniam virtutis applicatio, nec amplius quicquam requiritur, vt producatur effectus, ſicut vva ab alia putrefacente contacta eandem indolem induit. Hac ratione cum vesica vterus conſentit: haec cum intestino recto. Brachium cum manu dolente prompte compatitur. Oſſa carni circumpoſitae vicifſim ſua mala communicate. Sic ventriculo inflammatu vel nimis repleto patitur diaphragma, id est, fiunt ſingultus. Intestinis male conſtitutis, patitur hepar, & vice versa. Renibus affectis patitur vesica vrinaria. Malum ischiaticum, nephritis & haemorrhoides conſentiant. Lumborum dolor ſine cauſa veniens, haemorrhoides nuntiat vel mensium eruptu-rorum ſignum eſt, ſecundum HIPPOCRATEM.

§. XXX.

Immediata *continuitas*, praesertim fibrarum & tunicarum partium, numero diſtinctarum. Neutiquam enim dubitandum eſt, quin corpora communi vinculo continuata, partibus, quibus iunguntur, ſua ſeu bona ſeu mala facile impertiant. Quid enim prohibet? alteratio in continuum propagata, tantum quo longius ab origine procedit, eo magis ſenſim minuitur,



tur, sed nunquam fere in totum extinguitur; donec ad continui extrema perueniat. Maxime hoc manifestum est in fibroſa & membranosa continuitate, qualis in vtero & membranis ligamentisque, quibus connectitur, cernimus. Sicut enim in fibris, ita pariter in membranis tensis, motus ab uno extremo ad alterum facillime decurrit. Minime ita mirandum, si tantus vterum inter & ceteras partes in hypogastrio, inguinibus, & ad inferiorem spinam positas, interueniat consensus, quantum in passionibus hystericas, furore vterino, & incipiente catameniorum fluxu, obſeruamus.

§. XXXI.

Commune officium: vti inter iecur & vesicam felis, inter stomachum & intestina, inter renem & renem, oculum & oculum, inter cerebrum, cor, hepar, testes, ventriculum, quorum publica sunt munera, commercium est, ita affectas reliquas partes quae ab ipsis nutrimentum accipiunt simul affici, rationi consonum est.

§. XXXII.

Vsus idem: ita inter renes vretheres & vesicam, inter oesophagum, ventriculum & intestina, inter splenum, mensenterium & hepar, inter testes & vasa seminalia magnus inuenitur consensus.

§. XXXIII.

Fabrica partium eadem vasorumque anastomosis: hanc consensus vteri cum mammis causam putat HAL-

LE-

LERVIS: nam & mammae & vterus & ratione vasorum, quibus donantur, & ratione substantiae ambo sunt laxa & squamosa: ergo lactis serosi in grauiditatis vltimis diebus in mammis secretio, partim ex simili fabrica, debilitatoque arteriarum mammariarum ipsarumque elatere, partim ex compressis per vterum expansum arteriis maioribus abdominis, nec non ex arteriarum epigastricarum cum mammariis anastomosi, in grauidis ac puerperis, non aequa in aliis visibili; quae tamen sola huic fini obtinendo haud sufficeret; adeoque sanguine refluente & versus mammas affluente explicari potest.

§. XXXIV.

Humorum quos partes secernunt, accipiuntue *similitudo*: sic inter cutim & renes, ob vrinæ similitudinem cum sudore; quatenus sunt humores serosi excrementitii.

§. XXXV.

Forte & *collocatio declinior* vel e *diametro opposita*. Hanc causam in primis **HIPPOCRATES** habet, vocatque *νατ ἔξιν* vel *ἐνδυναγλαν*; quas voces eius commentatores verterunt per *rectitudinem* e *directo*. Hunc consensum in morbis etiam quotidie obseruamus: & de eo optime agit pluribus in locis **HIPP.** (potissimum VI. epidem. sect. II. fol. 144.) „e *directo* & la-
„terum & *praecordiorum* intentiones & *splenis ele-*
„*uationes* & *e naribus eruptiones* & *aures e directo*.

H

„*Plu-*



„Plurima horum etiam ad oculos. Vterum igitur o-
 „mnia? aut, quae quidem ex infernis sursum e di-
 „recto: qualia sunt, quae iuxta maxillas aut citra ocu-
 „lum aut aurem; quae vero ex supernis deorsum non
 „e directo, aut etiam quae infra hepatis sunt a super-
 „nis distributa, velut in testes ac varices? consideran-
 „da sunt haec, quo & unde, & propter quid: ex-
 „spectari oportet e directo distensionem secundum ven-
 „trem ut plurimum &c., Ibidem vide reliqua HIP-
 „POCRATE digna. Idem quoque tractans de partium
 consensibus supra infra, infra supra &c. (praedict. n.
 18. asserit: „Sanguinis eruptions e naribus vel con-
 „trario malae, veluti si a splene magno ex dextra
 „nari fluit & circa praecordia eodem modo se habet,
 „& cum sudore hoc peius.,, Et, (in coac. 31. cum
 commentario DVRETI) de pleuritide agens, ait: „Si
 „pulmonicis tota lingua fit alba & aspera &c. ea pul-
 „monis pars aegrotat: ita si dolor ad iuiulum est, si
 „fuerit ad dextrum, dextrum; si ad sinistrum, pulmo-
 „nis superior pars aegrotat. Sic in nephritide calcu-
 „losa, interdum adeat haemicrania ea parte capitis
 „quae dolente reni e directo respondet.,, Stupor
 quoque crurum e directo, retractio testiculi e directo,
 eandem ob causam, fiunt.

§. XXXVI.

Nostra partium conspiratio est *vnum ex praecipuis*
signorum medicorum fontibus. Medico enim id omne
 signum

signum est, quicquid de statu corporis sensibus ob-
uium aliud quid ignotum, obscurum, & occultum pa-
tefacit. Iam autem partes externae, quae cum inter-
nis consensum habent, eorumque affectiones medici
sensibus patent; ergo ex his ad consentientium inter-
narum latentium similes affectiones satis apte conclu-
dit. *pulsus* explorat in arteria carpi, hunc inuenit
inaequalem ergo ad omnium arteriarum pulsus inae-
qualem, cordisque motum & sanguinis circulum, in-
aequales, concludit. Sanguinis colorem exploraturus
adspicit ea loca, quae natura libera posuit, v. gr. la-
bia oris, carunculam in oculis, palpebras; ut hic san-
guis se habet ita reliqui in toto corpore conditio est.
Seri qualitatem inuestigaturus, animum aduertit ad
cutim, eiusque flauum inprimis colorem; hoc nempe
bene se habente in externis partibus, omne etiam in
toto corpore serum bene se habere, vero proximum
est. *Muscularum* statum disquisitus attendit ad vnum
alterumue musculum, inprimis hypochondriorum. Ex
glandularum externalium affectionibus idem similem in-
ternarum glandularum affectionem colligit: atque ex
iisdem, tussis siccae, phthiseos, mali hypochondriaci
& atrophiae infantum, ex mesenterii glandulis ob-
structis oriundae, indolem saepe cognoscit. Neru-
rum conditionem ex viuido, qui a neruis oritur,
oculorum splendore auguratur. Homini in lingua aph-
thae nascuntur, simul adest surditas, vomitus, dolor
in abdome; facile medicus inde concludet, similes

H 2

aphthas



aphthas ductum eustachianum membranaceum & tra-
ctum intestinorum obsidisse. Ex sudore multo concludi-
mus ad vrinae paucitatem.

§. XXXVII.

Concentus hic partium est *vna etiam ex praeci-
puis naturae medicatricis, conseruaticris, destrutricis vi-
ribus*: non merae nos sumus machinae, non ad om-
nia externa & interna insensibiles sumus, minime so-
li patimur sed & reagimus, resistimus quibuscumque
morbis, morborumque causis. Intus est quaedam
agendi potestas, hanc *naturam* dicimus, quae in actum
deducta *vita* audit. Natura haec seu etiam vita mor-
bo sese opponit, propriamque salutem propugnat, li-
cet non semper eadem vi: saltem saepissime sanatio-
nes producit arti inimitabiles, pulchreque salutiferas
medicamentorum vires adiuuant. Hanc qui negligit,
eiusque conamina reicit, nunquam recte cognoscet
curabitque morbum. Naturam esse morborum medi-
catricem, medicumque eius ministrum dudum iam me-
dicorum antiquissimi exclamarunt: acclamat ac hodie-
norum echo. Naturae autem huius iuuantis poten-
tiae sunt *in primis anima, vis vitalis & mutua no-
strarum partium conspiratio*. Hac ultima, corporis
partes *vnum* aliquod constituentes, idque integrum,
collocata sua quaque symbola se conseruare nituntur.
Hinc quam primum earum alicui noxa imminet, aliae,
nec raro omnes, iunctis viribus affectae & laboranti,
fuc-

succurrunt, communem in priuata cuiuscunque, & propriam in sociarum salute propugnantes: dolorem saepe sumfimus pro exemplo; ergo & ipsum hic sumam: hic in aliis cum affecta conspirantibus partibus spasmodorum, conuulsionum, imbecillitatis, paralyseos non infrequens causa existit; hic circuitum humorum vniuersum quam saepissime perturbat; hic febres interdum accendit vehementissimas, motus vitales mirum in modum excitat, corpus facit languidissimum, syncopen, mira diraque alia, inducit. His armis armata natura causis morborum non modo ressistit, sed cum his etiam congreditur, initoque conflictu, vim vi opponit; quod quum aequabili, qua in sanitate fluunt, actionum tenore & aequilibrio efficere nequeat; in solidorum, fluidorum & motuum, turbis, a morbo excitatis, saepe maiorum turbarum erit auctor. Ergo symptomata alia super alia coaceruantur, quae prudens medicus accurate obseruet, riteque distinguat; ne naturae tribuat morbi, aut vicissim morbo naturae effectus. Sic enim salutaria naturae molimina nunquam non solum turbat, sed & ea semper adiuuabit: quae vero noxia ex hoc fonte oriuntur, vti si vel modum euagentur, vel iusto debiliores sint, vel in partes inconuenientes dirigantur, hi naturae labores; hos circumspetiae corriget, torpidos excitabit, errantes in viam reducet. Medicus igitur, quo profundius naturae opera cum HIPPOCRATE, SYDENHAMO, BAGLIVIO aliisque rimatur, eo plures eius lu-



sus, ingentem varietatem & diuinum quasi eorum artificium obseruat. Nunquam vero modum, quo ista operatur, plenarie assequi poterit.


§. XXXVIII.

Maxime autem medico scitu necessarium est, *an aliqua pars per se, an per consensum officiatur?* nam haec cognitio locum detegit cui sua applicare debet medicamenta, prodit sc. veram mali sedem. Licet in morbis externis, in sensus cadentibus, respectu illarum sedum & locorum, quibus medicamenta impo-nenda sint, non tam facile oberrari potest; attamen in alia parte, in qua sedes & causa non existit producuntur effectus. Cum inter se distinctae & remotae partes ob longos nerouos ac musculos consensum vel harmoniam habeant; pars tamen quaedam antea illaesac sana dolore affici, vel motum suum amittere potest, licet caussae sedes in longe alia parte ac loco sit in quo nullum malum, apparet. Ad causas itaque & sedes remotissimas inuestigandas & detegendas medicus, originis, directionis, insertionis, & motuum cuiuscunque musculi, nec non originis ramificationum neroorum &c., exactam habere cognitionem. In morbis internis vero maiori adhuc haec cognitione premitur difficultate. Cognoscitur vero id, i. Ex peculiari partium natura vel conditione: natura enim partibus quibusdam talis est, vt ab aliis prius laborantibus suas noxas facile recipient, easque reliquis

quis impartiantur, veluti caput quod facile a ventri-
culo, vniuersoque corpore laeditur, & easdem partes
prompte offendit. Aliquae vero, ita comparatae sunt
vt ab aliis non ita facile afficiuntur; vt ossibus, quae
in se ipsis affectum, quo laborant, fere figunt. Quae-
nam vero pars sit apta aliis compati, vel reliquis ob-
esse, id ex recensitis consensus causis cognoscitur.
Hocce criterium inprimis hypochondriacorum & hy-
stericarum exemplis patet, quorum neruosum genus
a naturali aberrat statu, indeque ii vitiosam eiusmo-
di consensionem frequentius experiuntur. Adeo,
e. gr. quaedam pars in quibusdam corporibus, quae
prae aliis, morbose consentit, & quae corpore in qua-
cunque regione stimulato irritatione afficitur. Parti
illius laxitati vel debilitati vulgo quidem hoc gene-
ratim tribuere solent; alia tamen etiam causa ex ner-
uorum hanc partem ingredientium vi sentiente, ad
impetum proniori & inde a quavis sensorio inducta
mutatione facile excitabili, repetenda erit. Partis
sentientis affectio, stimulo etiam sublato, continuari
solet. 2. Ex morbi causis praecedentibus; hae si cui-
denter laeserint partem, non quae affecta apparet,
sed illam cum qua consensum habet, eam per con-
sensum laborare, probabile est. Ita quis in ceruicem
grauius cadens digitorum sensum amittere potest. 3.
Evidentes partis alicuius per consensum patientis causae,
sunt partes, quae cum his affectis consensum alunt, an-
tea laesae: nam si ventriculus diu laborauerit & do-
lere



lere postea caput incipiat; non immerito coniicimus
a ventriculo ad caput, transmissam esse doloris cau-
sam. 4. Ex *iuuantibus & laedentibus*: ex his enim
scimus, si duae simul affectae partes sint, eam pri-
mario affici, cui ista adhibentur: eam vero per con-
fensem, quae iuuatur laediturue, adhibitis alteri au-
xiliis. Ita ventriculo & capite vna laborantibus, si
remedia ad stomachum data leuent dolorem aut in-
tendant, ventriculus per se, caput per confensem af-
ficitur. M. HOFFMANNVS epilepsias plurium infant-
um sanauit vesicatorio abdomini admoto: vid. acta
N. C. vol. 3. obs. 84. BARTHOLINVS easdem cura-
uit cauterio actuali parti dolenti applicato vid. hist.
anat. cent. I. p. 123. Hisce in casibus igitur epilepsia
non fuit capitis, sed abdominalis partis morbus. 5.
Ex *effectibus & symptomatibus laesarum partium*: hi,
quae pars per se, quae per confensem afficiatur, de-
clarant: vel *tempore*: quia primo morbosa symptomata
apparent in illis partibus, quae primario afficiuntur,
postea vero in illis, quae prioribus compatiuntur;
ita enim a diaphragmatis inflammatione, cum cere-
brum trahitur in consensem, respiratio prius difficil-
lima sentitur, antequam delirium superueniat. *Magnitudine*: quia grauiora solent esse symptomata quae
partem primario affectam sequuntur, leuiora quando
per confensem contingunt: ita capitis dolor, quem
causa fecit indigena, multo acerbior est eo, quem
ventriculus male affectus excitauit. *Exacerbationis mo-*
do



do quia per consensum laborantium partium affectus
 ita cum alterius partis affectu cohaerere solent, ut
 ad eius augmentum quoque incrementa capiant, ad
 decrementum diminuantur. Ita videmus capitinis do-
 lorem quam peperit febris, euanescere, dum ipsa de-
 clinat, & quarundam foeminarum appetitum proster-
 ni, cum nausea, torminibus ventris, cephalalgia, aliis-
 que symptomatibus, instante menstruorum fluxu, &
 iis erumpentibus symptomata illa cessare. Hoc ta-
 men indicium verum non semper est: cum duarum
 partium affectarum symptomata simul saepe ingra-
 uescunt, simul mitescunt; quia ex eodem fonte,
 uno tempore, in vtrasque insluere morbus humor
 possit. Ita Agefilai filia, cum coxa doleret, simul
 etiam suspirio vexabatur, quod, remittente dolore,
 cessabat, VI. epid. sect. IV. tit. 4. Continuitate, quia
 plerumque continua esse solent symptomata in ea par-
 te, quae non aliunde patitur, sed in se ipsa passionis
 causam habet. Hac ratione phrenitidem a paraphre-
 nitide distinguimus, quod illa, sc. perpetua sit, haec
 vero non aequa, sed eo potissimum tempore inuadet,
 quo accessiones morborum augentur & vigent. Dixi
 plerumque quia hoc fallere non raro potest, & qui-
 dem tripliciter: vel quando pars, per cuius consen-
 sum laborare altera dicitur continenter ex se aliquid
 noxiis emittit, quod alteram efficiat. Ita continuo
 dolere caput potest per continuam sanguinis scaturi-
 ginem: vel quando ab eadem illa parte eius effluxus

I

pro-



prohibetur, quod ad actionem alterius est necessarium: ita quam diu maior calculus est in rene, quod e directo est crus stupet. VI. epid. sect. I. I. V. propter compressionem nerui, per quem musculi cruris omnes spiritum accipiunt: vel quando materia morbifica per interualla generatur & discutitur, vel exacerbatur & mitescit. Ita caput aliquando, & si perpetua humiditate propter naturam madeat, non dolet, nisi ab austrinis constitutionibus grauetur. Sic neque renes, saepe calida intemperie laborantes, dolent aut sanguinem transmittunt, nisi multa calefacientia assumantur, aut vehementius lumbi a corporis exercitiis incalescant. Specialissimae partium sympathiae, praesertim *musculosae neruosa*e, & ex utraque mixtae signa, excellentissime tradidit Cl. I. CRAWFORD in obseruationibus de sympathia partium corporis practicis quae in experimentorum atque obseruationum medic. edimburgensem vol. V.

pr. II. continentur.



6018 Pick



24

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CONSENSV
PARTIVM CORPORIS HVMANI

EIV

CO

GRATIOSO

ALM

GRAD
LEGITIME

DIE

PUBLICE

BENIA M

GIES

APVD IOANNEM I

